

CAROLI MICHAELER,

BIBLIOTHECAE VINDOBONENSIS CÆSAREÆ REGLE
ACADEM. CUSTODIS.

D E

MECHANISMO
PHYSICO
MIRACULORUM
COMMENTATIO.



1 7 8 4.

P R A E F A T I O
A D
LECTOREM
BENEVOLUM

Commentationem hanc animi
olim mei causa triennio abhinc mi-
nus operose conscriptam ut publici
juris facerem , tum Amicorum
quorundam persuasit hortatus ,
quibus ea supra , quam exspecta-
ram , probari videbatur ; tum &
repentina invitabat edendi oppor-
tunitas . Illi lucis quidpiam autu-
mabant affundi vulgari caligini ,
quæ rerum caecitate facile in fa-

A 2 nati-

*naticas abriperetur hariolationes.
ego id me facturum hac festina-
tione compendium arbitrabar, ut
citius erudirer ab aliis, sive quid
praematura celeritate prætermi-
serim, sive quid locupletius jam
in mundo sit alteri, sive quid con-
troversia, aut offensione non ca-
rere videretur: utilitati enim pub-
licæ servio: mea res agitur, siquid
huic magis commodare queat præ-
illo, quod ipse excogitaverim; nec
mediocri in lucro id deputabo, si
vel vitiositate quadam ansam præ-
buero, ut meliora alicunde eli-
ciantur.*

*Itaque foras dare properavi,
quod, ut esset elaboratius, haud
paulo plures in annos, quo ad eli-
mandi daretur facultas, premen-
dum*

dum fuerat, ni me pulchra occasio,
Benevolentia obsecundante, movis-
set, intellexissemque præterea, quod
in ista etiamnum editione desidera-
retur, id posse alia tempestate,
cum erit otium, quod operam da-
re sinat, magnis accessionibus, ac
supplementis compensari. Mirum
quoque, ni opus, quod sine ullius
quidem invidia publicam affectat
viam, adversarium sibi tamen in
eadem forte reperiat, qui laces-
sendo curatiori porro disquisitioni
faciat locum.

Malui autem periculi faciundi
causa primum latine hæc prodire
in lucem, cum ambigerem, pos-
sentne ea etiam germanice jam
nunc cum nostra multitudine com-
municari. Quid hoc in genere

A 3 fieri

fieri quondam expediat, tempus
dabit.

*Castigatæ latinitatis gratiam,
Benevole Lector, hic facito.
Scripsi alia omnia mente tum con-
fectans, quam ut nitide hæc effer-
rem, cum rebus duntaxat inhæ-
rens scriberem. Nec posthac va-
cuum mihi tempus ad expoliendum,
imo vix ad relegendum, editio-
que ipsa admodum subita fuit.
Non me ausim ullibi prædem dare
integelli sermonis. Id solum cura-
vi, ut, ubi philosophicas locutio-
nes, quæ scholarum superiore ævo
potitæ erant, tanquam technicas
retinui, ea vocabula minus latina
diversa in prelo litterarum figura
ad jacendum inclinata, notaren-
tur: quo & latinitatis cultores in-
telli-*

telligerent, me aliena, consulto
tamen, asciscere tanquam aliena,
& ii, qui extra oleas Latii va-
gantes diversis, sed sibi propriis
verbis, ac notionibus sua in Phi-
losophia dudum assueverunt, &
ista facilius ab se intellecta cum
suis concoquerent.

Hæc pauca mihi præfanda
duxi, quo minus inter legendum
quænpiam talia conturbarent. Ipsi
vero scriptio[n]i hederam hic nolim
suspendere. Satis erit, si eum,
quem mihi proposui, fructum vel
partem aliquam consequar, ut,
qui crassius de summi Opificis fab-
rica cogitare soliti, alii admira-
tione sopita ignorantiae; alii pro-
fanis se opinionibus dabant,
divinorum operum apparatu, va-

A 4 rietate,

rietate , præstantia , humanis in
rebus intercessu , instructuque , ac
nexu naturæ , & futurorum ex
istis conjectura expergefacti , ani
mum ad altiora discant advertere ,
tantoque augustinus de Sapientissi
mo rerum nostrarum Moderatore
sentiant , quo minus ejusdem ar
canis concipiendis pares sumus .
Sed qui nihil satagit : is quidem
tanto longius abest ab æstima
tione .



Cum



§. I.

Cum inter Scriptores Catholicos nemo memoriam consulenti mihi occurseret, qui ex instituto hoc versatus esset in argumento, (a) occasione fortuita invitatus cœpi cogitare, numqua ratione possent &

Argumenti tractandi nova, non tam omnino paradoxa ratio.

- a) Evidem de miraculis inter nostros non ignoro complures scripsisse, longe tamen diverso proposito hoc in argumento versatos, quam ut isthic eorum eruditio nobis esset usui. Edidit Oeniponte Vir Clar. Joan. B. Albertini Scriptionem de Possibilitate Interna Miraculorum, sed



& ista supra naturam posita cum philosophica cogitatione nostra ita conciliari, ut non modo nulla inde Religionis Principiis nascetur labes, sed fides potius apud timide credulos possit accedere: quantum quidem in hujusmodi argu-

Metaphysicæ potissimum substructis eidem principiis. Elucubratus est & Viennæ Cl. de Haen Commentarium de Miraculis, in quo ferme non nisi Gafferiana illa exagitat phœnomena, ac veri miraculi notas statuit, quales & insignis Medicus Gaspar a Rejes in suo Elycio jucund. Quæstionum, jam multo antea de rebus ejusmodi accuratius disceptans, proposuerat. Habemus & in manibus Kornmanni jam ab anno 1610. de Miraculis Vivorum, & Mortuorum Libros hodie jam paulum rarefentes. Sed quandoquidem sine ordine, delectu, physicaque explicatione promiscue per ætates vagantur, ab hoc instituto, in quo de Veteris tantum, novique Instrumenti Prodigii, uti illa cum Philosophia naturali nostra conciliari possint, querere animus erat, & hi, & illi priores longe profecto abhorrent.



argumento tum fas est, quando
de eo differentem oportet in ut-
ramvis partem perinde aequum præ-
se animum ferre.

§. II.

Qua in tractatione tametsi
novam institui viam: non tamen
ab omnibus aliis paradoxa expli-
catione discrepare me arbitror.
Tametsi enim quidam res tantum
infolitas in miraculis deputent:
jam tamen Clarissimus Mako in
Compendiaria Metaphys. Institu-
tione *) profiteri non est veritus:
„Ego hic existimo, insolentiam,
„aut hominum admirationem ad
„internam miraculi naturam,
„quam hic definio, nihil omnino
„pertinere. „ Quæ quam belle
cum meis declarationibus con-
gruant, infra elucebit. Porro Miraculo-
Idem ibid. *Supernaturale* quidem rum divisio
asserit, cuius ratio in vi ad uni- paffim con-
versam naturam pertinente mini- sueta.
me

*) Cap. VII. pag. m. 205.



me continetur ; *miraculum* vero
proprie sumtum esse quemvis effe-
ctum *supernaturale*m. Idem ta-
men infra pag. 219. §. 313. etiam
effectus quosdam naturales ali-
quando in miraculis censet , quæ
miracula quoad modum dicantur.
„ Cum ergo , inquit , fieri possit ,
„ ut , quod plerumque naturaliter
„ evenit , idem alio tempore pro-
„ digiosum sit , diligenter erit vi-
„ dendum , ne *hujusmodi* effecta
„ in naturalibus habeantur prop-
„ terea , quod exstant in mundo
„ causæ iis præstandis pares , ta-
„ metsi eæ in posito casu defuerint.
„ Neque enim amplectimur eo-
„ rum sententiam , qui eos tantum
„ effectus accensent miraculis ,
„ qui omnes naturæ vires absolu-
„ te superant , quosque propterea
„ *miracula quoad substantiam* vo-
„ cant. Quis enim neget coturni-
„ ces in castra Hebræorum mira-
„ culo fuisse compulsas , quod ta-
„ men ipsum vis , & efficacitas
„ ventorum naturaliter præstare
„ potest ? Quis neget perduelles
„ illos



„ illos Hebreos prodigiose fuisse
„ terra haustos, quæ alias & ur-
„ bes, & vastissimos montes na-
„ turaliter absorbet? — Deinde si
„ ea sententia valeat, vereor, ut
„ ulli miraculo certa constet fides.
„ Nemo enim vires totius Naturæ
„ ita perspectas habet, ut, quan-
„ tum eæ possint, dijudicet: ne-
„ mo de creatorum spirituum ef-
„ ficientia definiet, quid valeat,
„ quid ferre recuset. „

§. III.

Mirum sane, qui ista fateatur,
cur Lokium *) perstringat, quod
miraculum ait esse „ sensibilem
„ quandam operationem, quæ
„ cum spectatoris captum trans-
„ scendar, ipsiusque opinione cur-
„ sui naturæ constituto contraria
„ sit, ab eo pro divina habetur. „
Non enim, ut arbitror, Lockius
propterea Deum miraculorum Au-
ctorem negat, ac proin facile &
hujus a me sententia ascisci potest.

§. IV.

(*) pag. 205.



§. IV.

Mechanis-
mus pleris-
que Miracu-
lis communis
jam recondi-
tior, jam a-
pertior, & plerisque prodigiis, in materia
inde novaeo-
rum partitio;
per quatuor ratione,
porro modos
deducenda.

Mihi ex utrisque inter se re-
pugnantibus licet opinionibus nova
potius alia consurgit sententia,
quam ingenue profiteor: nam in
editis, non turbata miraculi divini
ratione, physicum quendam sub-
esse *Mechanismum*, & ab notiori-
bus etiam ad occultiora indicium
recte duci posse arbitror. Itaque
propriam quidem Prodigii ratio-
nem in eo repono, quod divino
intercessu fiat contra ordinarias
naturæ leges viresve. Duas vero
classes illas *Supernaturalium quoad*
Substantiam, & *quoad Modum*,
cum *modus* ipse citra explicatio-
nes dilucidiores in *obscuro* relin-
quatur, tanquam nescio unde arre-
pas appellations omitti, & com-
modius *priorem* quidem explicari
posse autumo per *arcaniorem* quan-
dam *mechanismi* fabricam, cuius
nobis energia altius lateat; *alteram*
vero per *Mechanismum* etiam ex-
trinsecus aliquanto notabiliorum.

§. V.



§. V.

In Modo autem, qui utrique esse communis queat, potissimum considero Applicationem quandam plerumque tralatitiam; Destructiōnem, aut Restitutionem partium præcipuarum; Congeminationem materiæ, aut virtutis; & transmutationem partium etiam minimarum contra ordinarium naturæ cursum, quibus iste scilicet modis sufflaminatur.

§. VI.

Hæc mihi in plerisque multo congruentior visa est prodigiorum, quæ in materia edita sunt, (nam in animis edita humanis sectione altera exsequemur) explicatio clavis, quam sit illa Doctissimi Angliæ Medici Bernardi Connoris, qui per suspensas motus leges miracula omnia explanari, certasque revocari ad classes posse in Evangelio Medici, seu Medicina My-
Item duplex commen-
tarii sectio.
ftica



ftica Amstelodami 1699. edita *) autumat. Tametsi enim sine motu vix concipi energiæ possunt: nimis tamen ad accommodandum longinquæ, & obscuræ sunt illæ tres motus suspensi species, quas Connor proponit. Unde commodius easdem certos ad modos reducere videor.

§. VII.

Connoris Systema de Miraculis magis se som- mendaret, Atque illud quidem facile Con- nori largior, æqualis esse omnes Dei actiones præstantiæ; de quibus ita Ille **): *Miracula* æque facile concipi poterunt mente, & explicari ratione, ac illi effectus, qui juxta sanctas naturæ, & motus leges produci passim solent; quia uterque effectus, & ille, qui legi est conformis, & alter, qui suspensta lege producitur, ab æquali ipsius voluntate, & æquali volun- tatis

*) Artic. VI. pag. 42. seqq.

**) Art. IV. pag. 27.



tatis efficacia unice, & immediate dependet. Unde illi effectus, qui vulgo naturales dicuntur, aequre vere supernaturales sunt, ac illi, qui solent miracula vocitari: & vicissim miracula aequre corporum, in quibus producuntur, conditioni, & naturæ convenienti, ac phænomena, quæ juxta sancta naturæ decreta in ipsis producuntur.

§. VIII.

Sed in eo non amoenissimè nisi Cartesii philosophari visus est, quod *) anis niteretur principiū, ac concludit: Cum igitur is, soli Deo motus sit effectuum omnium causa unica, & motus unice, & immediate a solo Deo procedat, Deus erit unica, & immediata effectuum omnium causa. Ac proinde materia, materiæ figura, & molles, quæ vulgo naturales, seu secundæ cause vocantur, veræ cause

*) anis niteretur principiū, soli Deo actionem omnem tribuentibus.

*) Art. V, pag. 33.



*sæ non sunt; sed tantum passiva quædam, apta tamen instrumenta, & occasiones, quæ ium-
mum opificem ad producendos, quibus destinata sunt, effectus de-
terminant. Ut lumen, cœcis oculis applicatum, non est causa sed
tantum occasio, cur cœcitatis cau-
sa a supremo luminis Authore tol-
latur. Quis quidem in luto, spon-
toque proportionem quandam ag-
noscere queat, quæ Deum ad
agendum inducat? Cur Deo soli
agendi vis attribuitur, nisi quia no-
bis efficacitatis principium, & mo-
dus in rebus creatis plerisque cum
instrumentis suis latet?*

§. IX.

Quibus diffi-
cultas hanc
rem cognoscendi
nihil hujusmodi
imminuitur,
supervicanea
duntaxat
commutatio-
ne.

Hac, opinor, re moti philo-
sophi præstantes cum Cartesio
decreverunt. (a) Interim res ist-
hic

(a) *Corpora esse vi agendi prædicta, illud
ademum est, quod nec clare videmus,
neque*



hic pleræque sic accidunt, tanquam viribus energiarum singulärum propriis evenirent: & rursum in Deo ipsomet, cuius vim agendi nemo potest in dubitationem vocare, *activitas* omnis nihilo minus intelligentiae nostræ cœca est, quam in ulla rerum creatarum, maxime cum spiritus ac proin vel maxime Dei, cum corpore proportio ad influxum ullum altissime nobis oblitescat. Nec propterea minus ingenue confitendum, id & fieri, & debere, idemque etiam de animis nostris ex sensu interiori nobis non potest non constare, tametsi agendi modus itidem lateat. Evidet dum naturalem seu physicum quendam *mechanismum* corporum etiam in quamplurimis miraculis agnoscamus, nihil huic sententiæ officaret, si Deo soli vim agendi tribuas, detrahas autem corporibus;

B 2 nam

nec concipi posse existimamus, & illud quoque est quod negamus, ait Malebranche (Lib. VI. de inquir. Verit. p. 2 c. 3.)



nam etiam juxta Connorem, & Cartesianos illa corporum dispositio tanquam occasio, & instrumentum requiritur, quo Deus ad agendum moveatur. Ac proinde nostra haud interest, sive mechanismum corpora ipsa, Deo seriem disponente, efficiant, sive Deus non nisi cum illis; quia tamen perinde idem fieret, idemque foret rerum situs.

aldo zidon

§. X.

Potius ratio sufficiens tantum, & tam varium apparatus apparatus vim ipsis rebus propriam indicat.

At cum in rebus creatis tantum, & tam varium apparatus instrumentorum, & organorum, eorumque simul ex situ, figura, ac proprietatibus habilitatem intuemur, atque istud idem etiam in ipsis prodigiis animadvertisimus: aliud porro argumentum nobis inde nascitur, scilicet hæc auxilia non esse supervacanea: forent autem, si nulla in eis agendi vis inferret, sed Deus sive cum illis, sive sine illis, sive etiam contra earum naturales habilitates solus ageret. At si has naturas, ut earum oper-



portunitas nobis significat, jam ipsas met ad agendum paratas agnoscamus: tum vero conditoris apparet sapientia, qui eas cum tam eximia causarum *subordinatione* tam affabre instruxit. Illustratur præter providentiam potestas, quæ tot res nobis abditas in naturæ promtu reposuit, per quas quidlibet novi, sine nova procreatione, efficere possit; agnoscitur item in communicanda virtute Dei benignitas, & majestas; dum ipse met suo opificio, eodem utens, honorem quodammodo habet, & dum operum suorum efficacitatem ostendit, simul quanti eadem ipse faciat, monstrat.

§. XI.

Quo eodem argumento duc-tus Ecclesiasticus *) in laudem Medicinæ effunditur: *Altissimus crea-vit de terra medicinam, & vir-*

B 3 *pru-*

*) Cap. 38, v. 4. seq.



prudens non abhorrebit illam.
Nonne & ligno indulcata est aqua
*amara *) ? Ad agnitionem ho-*
minum virtus illorum, & dedit ho-
minibus scientiam Altissimus, ho-
norari in mirabilibus suis. — Et
non consummabuntur opera ejus :
pax enim Dei super faciem terræ.
Ubi vides, prodigium in favorem
populi hebraici factum ob vim ta-
men ipsi ligno propriam, quod in-
ter glycyrrhizæ genera, a Diosco-
ro, Palladio, Plinioque memora-
*ta, censem Tirus **), inter res na-*
turales referri. Quid opus tali ar-
boris injectione, si tamen non ni-
si Deus aquam debuit amaram con-
vertere in dulcem ? Forte an vero
non ex dulci glycyrrhizæ gene-
re, sed ex alio, acerbitatem, &
amariciem ad se attrahente, lig-
nū fuit, (a) Ipsa igitur Dei actio
et modus in C. annis medi-

*) Exod. c. 15, v. 25.

**) In loc. cit. Exod.

(a) Certe lignum ad corrigendam aquam
 falsam adhibitum in Targ. Jonat.
 arbor.



mediata , & instrumentalis cum
ipsis rebus communicatam virtutem
physicam , ac proinde etiam *com-*
municabilem ostendit: quorsum ali-
oqui tanta dispositionum series ,
etiam longinquis , ac saepius gra-
datim unius ad alteram delegata ?

§. XII.

Quod nisi dederis, nihilo pro- Alias eodem
fecto plus explicaris, quam vulgus ^{relicto stu-}
hominum , dum in prodigiis non vulgus & Phi-
nisi vim humana majorem, rectaque ^{pore, inter}
ab ipsomet Deo profectam, & edi- ^{vulgus & Phi-}
tam miratur. miramur & nos, &
manum divinam agnoscimus , sed ^{losophum ni-}
excellentiore quodam modo , &
reverentiam majorem conciliante,
in quo etiam rerum adjuncta illu-
strantur, neglecta ceteroqui ab ru-
dibus, imo ab non paucis etiam
Theologis , cum in S. tamen P a-
gina

arbor est aquatica amarissimo flore
magnō roseo Ch. קַהְרִיןִי. Ka-
raitæ Kahirini apud Niebuhrium
tradunt fuisse *Nerium Oleander*.



zina satis accurate illa ipsa exprimantur. Qua de re scite Connor animadvertisit *) non in tali hærendum esse superficie, quæ non nullis ipsam ferme miraculi, definitionem conficit: *Quidam dicunt, quod miraculum est stupendus effectus, qui sensus percellit, & ingenii captum excedit.* — *Verum quam multi sunt naturæ effectus, qui sensuum aciem, & rationis indaginem superant?* *Quid stupendius ortu, & occasu astrorum, vel ut malunt, telluris?* *Quid æstu maris?* *Quid vegetantium germine?* *Animantium genesi?* *Motu musculari?* *Aquarum stygiarum effervescentia?* &c. Si igitur allata hæc miraculi descriptio vera eset: omnes naturæ effectus continua forent miraculorum series, & catena. Quare non sat est dixisse miraculum esse stupendum effectum, sed ulterius natura ipsius indaganda, & ratio, cur tanto stupor-

*) Cap. VI, p. 39.



stupore hominum sensus percellat;
plurimi enim sunt stupendi effectus,
qui sacro miraculi nomine insigni-
ri non merentur. Recte, & con-
sentanee cum superioribus, quæ
pag. 27 exposuerat, hæc ab eo di-
cuntur, scil. æque facile concipi
miracula in Deo, atque alias natu-
rales effectiones; cum illa tamen
vulgaris præ istis usitatis miretur.

§. XIII.

Sed est alia quædam in prin-
cipio isthic inter nos differentia; rum assum-
torum obseu-
ille enim æqualia statuit miracula ritates hic in-
suspensis naturæ legibus cum ordi- ter se magis,
nario naturæ cursu, quia utraque & magis im-
non nisi Deo agente, id est, ejus plicantur.
tantum voluntate, perficiuntur: nos
æqualia dicimus opera, quia iisdem
naturæ viribus a Deo institutis ex ejus singulari instructu, ac
directione, duntaxat contra ordinariū cursum etiam miracula per-
aguntur. Videndum igitur, quis
magis porro consentanee, & simul
explicatiū in systemate progredia-
tur.



tur. Hoc autem ille inter miracula, & naturæ phænomena statuit discrimen *), quod ista secundum **Corporum conditiones, & statutas motus leges producuntur, miracula vero a nulla corporum conditione, naturæ auxilio, aut motus lege dependent; sed per diversas longe, imo plane oppositas naturæ legibus vias peraguntur.** — Ac proinde quoniam — phænomenon naturale vigente motus lege producitur; sic miraculum feriante eadem lege ducendum est. Miraculum igitur recte definiri potest effectus suspensæ naturæ, seu motus lege productus. Tribus autem modis hanc legem suspendi posse observat **):

I. *Corpus moveri poterit sine occasione motus alterius corporis irruentis.*

II.

*) Pag. 41.

**) Pag. 42. & 43.



II. *Data corporis irruentis occasione corpus poterit non moveri.*

III. *Corpus in motu positum motum subito deperdere poterit, non communicato eodem alteri corpori ambienti.*

§. XIV.

Sed uti jam supra animadver-
ti, nimis quam longuinqui, & ob-
scuri sunt hi modi; unde & ipse
Connor in eorum accomodatione
ad miraculorum genera laborare ag-
noscitur, & in primo quidem mo-
do fusior est; in ceteris vero vix
est operæ pretium, quidquid con-
tinent: nec in singularibus prodi-
giis eo ipso, quia eorum incertus
relinquitur modus, satis est liqui-
dum, ad quamnam ex suspensis mo-
tus legibus & quare pertinere de-
beant; vel maxime enim hic quæ-
ritur causa, cur, & quo pacto lex
motus suspendatur, v. g. cur ru-
bus ardens non comburatur; cur
flamma in fornace babylonico e-
phe-



phebos non attingat. Hic autem non nisi Deus pro causa universali, & uniusmodi suggestur, cuius actio ignota manet, & cuius lex naturae cursui adversans fictitia apparet, ac certe nihil explicat. (a) Equidem ubi de prodigiis agitur, plerique, etiam indoctissimi quique, omnes sunt perinde Cartesiani, quia plerique sine naturae quodam antecessu non nisi ad ipsum confugiunt Deum. Unde eisdem & Connoria-
na definitio miraculi non poterit non probari, cum vulgari accep-
tioni satis belle respondeat. At præterquam quod nihil faciat ad explicandum, etiam non pauca ea-
dem excludit miracula, in quibus naturae intercessum quandam ag-
nosci debere paulo postea mon-
strabimus, omnium tamen consen-
su inter primæ magnitudinis pro-
digia alioqui numerata.

Ac

(a) Unde jam olim nec Cicero eidem rei potuit acquiescere, quando (de Divinat. L. II. c. 26.) ait: *Magna futilitia est earum rerum Deos facere efflores, causas rerum non querere.*



§. XV.

Ac demum Connorem hæc de Denique Con
scriptio cum iisdem miscet, quos norem hæc
ipsem perstringit, ut jam secum explicatio ad
ipso ei cohærentia esse non pos id ipsum re-
sit: nam *) dixerat: Creditur vulgo, gabat.
quod, quoniam miracula sunt ef-
fectus, qui naturæ leges exce-
dunt, ingenii quoque captum su-
perant; unde miraculorum inter-
pretes ad supernam numinis pote-
statem cæca mente recurrere so-
lent. Dicunt enim, & merito qui-
dem, quod Deus omnia præstare
potest, quæ sibi aut rationi re-
pugnare non videntur: miracula
igitur, inquiunt, etiam si rationis
indaginem fugiunt, rationi tamen
non contradicunt, ac proinde De-
us eadem, quoties ipsi lubebit, o-
perari poterit. Verum hoc ani-
mum veritatis avidum non satia-
bit. Nemo enim non videt, quod
supremum, & absolutum est summi
numi-

*) Cap. VI., pag. 36, & 37.



numinis imperium in omnia corpora, & in reliquas, quas ipse creavit, substantias. — *Non satis est igitur dixisse, Deum esse unicam rerum omnium, & effectuum tum naturalium, tum supernaturalium auctorem, & causam, sed ulterius inquirendum, quomodo imensa ipsius potentia corporibus, aut rebus, in quibus hujusmodi effectus producit, vere applicatur.* Nonne in eundem ignorantiae scopulum & Connor impingit, ut nihil hoc extricans in perpetuos evadat recursus ad Deum? Quid enim juvat nosse, quænam lex naturalis prodigio suspendatur, si modum noscitur non licet? Ex ejusdem igitur consilio*) exploremus, utrum humana mente concipi potest modus, quo miracula produci possunt.

§. XVI.

*) Pag. 36.



§. XVI.

Quatuor præcipuos supra diximus modos, ad quos magna saltem, ni maxima, miraculorum pars accommodari queat. *Mechanismum* in eis *physicum* luculente non raro, rursum alias occultius animadvertisimus; aliquando nequidquam assequi conaremur. Interim si ex notioribus recte conjectura ducitur ad ignota: in his quoque *Mechanismum* quendam occultiorrem, quia subtiliorem, non insulse divinabimus.

Sectio prior
de Mechanismo
Miraculorum in ma-
teria edito-
rum.

§. XVII.

Latissime patet primus modus, qui fit *applicatione* potissimum *tralatitia* rerum aliarum in naturæ promtu jam existantium; ac properea uberrimus est, quia innumerabiles in natura supersunt vires, quæ si nobis forent notæ, facillimæ, ec præstantissimæ fieri possent applicationes, mixtiones, & rursum oppositiones. Aliquando istæ non.



non nisi casu fortuito, ubi concur-
su, ut ajunt, *simultaneo* inopinato
prodeunt in effectum, hominibus
innotescunt; uti salis in vertice af-
frictio adversua phlebotomiae deli-
quia; filix dentata adversus tæni-
am; aquæ guttulæ spiritu retento
per guttur transmissæ ad singultum
sistendum. Talis erat & massa fi-
corum*) ulceri Ezechiæ imposita,
cui alioqui secundum *naturalis dis-*
positionis cursus, Deo ipso pro-
nunciante, fuisset moriendum. At
qui *naturalis* is quidem fuit effec-
tus; Ezechiæ tamen ita visus in-
credibilis, ut novo miraculo in so-
lis umbra edito fuerit confirmans.
Dubitabis interim num in
prodigijs hæc numeranda sit cu-
curatio.

§. XVIII.

In his quæ-
dam viden-
tur non nisi
naturaliter si suggerente Deo medela est adhi-
evenire; at
funt reapse
bita. Tum vero apud Deum non
paria.

*) L. 4. Reg. c. 20.



est major virtus sive in uno, sive
in altero instrumento creato secun-
dum illud Jonathæ; *) quia non
est domino difficile salvare vel in
multis, vel in paucis, sed prodi-
gii ratio ferme in nostro conceptu
hæret, utrum modus contra na-
turæ cursum agendi nobis occul-
tior, an captui naturali propior
videatur. Igitur aut hoc quoque
in prodigiis habendum, aut etiam
alia quædam expungenda miracula.
Geminum est illud de felle piscis
Tobiæ oculis illito. (a) Re qui-
dem vera nobis perinde latet,
quo pacto massa ficorum letali
morbo,

*) L. Reg. c. 14. v. 6.

(a) Excepi sane a Præstanti Medici-
næ Doctore, D. Rebsamen, qui hunc
piscem *Mystellam fluviatilem* (Eine
Aalruth) conjectat fuisse, adipe,
quo fel ejusdem obducitur, etiam-
num ad oculorum morbos nihil
opis in omni Arte salutari consta-
re præsentius.



morbo , aut fel oculis squamma obductis mederi potuerit; ac quoniam pacto ignis in fornace , quem Nabuchodonosor septies auctiorem fieri jussicerat , abstinuerit ab ephebis , aut mare erythræum tota nocte hiaverit &c. sed quia experientia docti resquasdam valetudini suapte conducere , aut contra morbos difficiles naturaliter salutares esse novimus: argumento ab notis ad incognita deducto , etiam istos S. Paginae eventus huc traducimus , tametsi proportionum plane ignari , & miracula cum vulgo illa duntaxat æstimamus , quæ nullis naturæ viribus , & adjumentis perpetrata nobis quidem videntur.

§. XIX.

*Aliis ali.
quanto con-
spectioribus.*

Interim & illa duo prodigia , altero hic loco memorata , quæ ab omnibus pro luculentis habentur , admixtum sibi mechanismum nescio cujus materiae tralatitiæ ostendunt : quæ si nulli fuit usui , cur , quæso , a Deo ascita fuit ? atque cur etiam
ab



ab S. Scriptore annotata? nam *)
*Angelus autem Domini — fecit
medium fornacis quasi ventum ro-
ris flantem, & non tetigit eos om-
nino ignis: tametsi ministri Regis,
ut **) prædixerat, naphtha, &
stupa, & pice, & malleolis suc-
cendere fornacem non cessabant.
Igitur contra ordinarium naturæ
cursum siebant ista: & tamen na-
turaliter sic siebant, ut istis adju-
mentis interpositis naturaliter non
posset res aliter evenire: materia
enim alia, igni adversante, inter
tres ephebos, & ignem interjecta
& fusa, necessario, ac naturali tru-
sionis lege cum summo furore fo-
ras effundebatur flamma; & illos
nec minimum lædebat; sed cum
talis materiæ sive præsentia in tali-
bus rerum adjunctis, sive notities
in hominis non sit potestate sita,
rectissime in tali eventu DEI digi-
tus, & prodigium agnoscitur, salvo*

C 2 inte-

*) Dan. III. v. 50.

**) v. 46,



interim *mechanismo*. Neque ejusdem modi adjumenti genus ad exsiccationem Erythræi in transitu Heræorum defuit, ita tamen, ut minimam istis exhiberet molestiam; uti eadem nubes his *lucida*, Aegyptiis contra *tenebrosa* accidebat. Certe maris intermedii siccum illum hiatum tralatitiæ cuidam *dispositioni physicæ* Moses ipse attribuit: *) cumque extendisset Moses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi, & urente tota nocte, & vertit in siccum. Evidem etiam cum hoc vento res captu nostro multo est altior.

§. XXX.

Interim pro energiarum physicarum varietate etiam in applicatione alias, atque alias erit *mechanismus*, nos terque de illo conceptus; uti **) in deportatione Haba-

*) Exod. 14. v. 21.

**) Dan. 14. v. 35.



Habacuc per *angelum in impetu spiritus sui*: ubi quidem itidem aliquod venti rapidissimi adminiculum videtur adhibitum: & ita forte iterum *spiritus Domini rapuit Philippum.* *) Unde ventorum gubernationem *Angelis* tribuebant Hebræi. (a) Ob hasce varietates etiam applicationum innumeri sunt modi, ut spissando, laxando, fecundando, incitando, intimando, fermentando &c. & aliquando ita insensibiles, ut ab iis recte argumentum itidem ad alia minus nota ducatur.

C 3 §. XXXI.

*) Act. 14. v. 39.

(a) Ita nec quilibet ventus, sed ab occidente flans, & locustis ingratut, illas præcipitavit in mare Exod. 10. 19.



§. XXXI.

Aliisque ^{multo occul-} Talis erat vis physica aëris fi-
tioribus. lamenta ignea sulphurata per anhe-
litum in corporibus vulgantis in
clade Senacheribi ; mechanijmum
non celante Isaia *) ecce ego dabo
ei spiritum, id est, immittam ven-
tum, & audiet nuncium, sc. ma-
ne post cladem, & revertetur ad
terram suam, & corruere eum fa-
ciam gladio in terra sua, filiis eum
trucidantibus. Qualis iste spiritus
futurus esset, jam aliquanto antea
prædixerat, **) & erunt populi
quasi de incendio cinis. Qui effe-
ctus venti, Samum, vel Samiel
dicti, novit, intelligit, quid lo-
quar. Porro apertius etiam rem
idem Propheta præcinuerat : ***)
Propter hoc mittet Dominator Do-
minus exercituum in pinguibus ejus
tenuitatem & subtus gloriam ejus
succensa ardebit quasi combustio
ignis

*) Cap. 37. v. 7.

**) Cap. 43. v. 12.

***) Cap. 10. v. 16.



ignis &c. quæ eidem vento constat esse propria. Ejusdemmodi occultas exhalationes alterius generis habuerit & pestis triduana sub Davide, quæ varia scil. corpusculorum suorum applicatione homines encabat.

§. XXXII.

Multo etiam subtilior virtus illa Christi Domini in fistendo sanguinis fluxu demonstrata, & utique physica, non modo quia per attactum physicum cum fiducia conjunctum percepta, sed & quia eam Dominus ex emanantia ejusmodi physica se persensisse præfert, *) cum negantibus omnibus, contactum hujusmodi intercessisse, ipse diceret : *Tetigit me aliquis : nam ego novi virtutem de me exisse.* Et quid erat ille *Spiritus Domini*, **) qui in orbis nostri nova ruderatione ferebatur super aquas, tantamque machinam ex pigro situ

C 4 con-

*) Luc. C. IV. 46.

**) Genef. I. v. 2.



concitans in motum, & sua digestione resolvens, elementa aptavit in ordinem? Enimvero quiddam in eo corporatum, & vento simile plerique omnes agnoscunt.

§. XXXII.

Mechanismum igitur quendam physicum hic quoque proximum est suspicari, cuius gubernationem penes spiritus alios *incorporeos*, sed in talem materiam pro arbitrio, ac virtute propria agentes residere facile conjectes: quam olim veteres *animam mundi* suspicatos apparer. Fatendum profecto, esse in naturae apparatu admirabiles energias, ac proinde *mechanismos* quoque, quos nec vestigare *Physicalis nostris curæ fuit*, nec fortassis fas foret. Unde & saepe obscurum nobis manet, sitne res omnino contra leges naturae ordinarias, nec ne; eo ipso, quia singulas leges, & vires naturales non possumus perspectas, neque omnes agentium, & patientium proportiones,



tiones, quæ in *applicatione tralatitia* sibi admoventur, in numerato habere.

§. XXXIII.

Alter modus prodigiorum, qui constat *destructione cum resolutione*, & separatione partium quarundam præcipuarum, aut contra earundem *restitutione*, habet & ipse speciem quandam applicatio-
nem, fine qua plerumque nulla fit resolutio. Interim tamen latius patet *applicatio*, atque etiam sine *dissolutione* insistere potest in aliqua cohibitione, aut intercessione. Hoc quoque in modo aliquando apertior est *mechanismus*, uti cum vermis *) percussit hederam, exaruit; & cum **) Abrahamus mane Sodomam intuens vidit ascendentem favillam de terra quasi fornacis fumum; primum enim a bituminosis circa Sodomam caver-

per destructionem, aut restitutionem partium præcipuarum, jam aperte patet.

C 5 nis

*) Jonæ IV. v. 7.

**) Genef. I9. v. 28



nis cum terræ motibus naturali
quasi exæstuatione erumpentibus
videtur harum urbiū eversio coor-
ta, tametsi postea etiam pluvia de
cœlo ignea, forte ex eadem inflam-
matione traducta, & per sublime
arcu decurrens accesit.

§. XXXIV.

Jam longe est abditus. Alias vero etiam occultior est
ea ratio, ut in obitu Mosis inte-
gro, vegetoque corpore, cum
*non caligavit oculus ejus, nec den-
tes illius moti sunt;* *) & in morte
Aaronis **) nempe exili quadam
corporis parte, dum ex præcipuis
fit, oblæsa, brevi partes reliquæ
machinæ corrumpuntur, nec opus
est, ut nova, & heterogenea ma-
teria sanguini addatur ad morbos
eidem inducendos: sed sufficit sali-
na ipsius principia fuscitare, & per
conflictum cum aliis particulis in
novas eadem figuræ mutare, ut
febres,

*) Deut. 34. v. 7.

**) Num. 20. v. 26.



febres, morbique varii, & pestes
inde nascantur. Possunt enim *salia*
acria intra sanguinis compagem, &
intra sulphurea ejusdem involucra
irretita exaltari, & iisdem totus
sanguis aculeari; unde ille austerus
evadet. Mox & corruptio, ob-
structiove unius partis turbato com-
meatu succorum in labem totius
fabricae corporeae desinet.

§. XXXV.

Et rursum si impediatur, ne
sanguis, & alii humores vappe-
scant, eorumve principia diffri-
gantur, aut abradantur anguli,
nimiumve exhalent, ut reparatio-
ne egeant, *conservatio corporis*,
etiam sine pastu, diutina sequetur;
maxime si sanguinis ipsius princi-
pia ita aliquando spissa sunt, &
tam viscido cämento alligata,
quemadmodum & in morbis qui-
busdam fit, ut sine alimentis a dis-
solutione cohiberi queant. Contra
ea in affecto corpore, iisdem prin-
cipiis correctis, & parte, quæ
oblæsa



oblæsa erat , accessione melioris materiæ instaurata , & particulis falsis , acribus , & acidis intra sanguinis texturam retrusis , & competenter absconditis , fiet restitutio , eaque subita , si quamprimum ista introduci queant .

§. XXXVI.

Tertius modus , qui geminatus per generatione virtutis , aut materiæ peraminationem gitur , exempla habet & ipse plu-
mate iæ , ut rima , & quædam quidem satis ma-
quibusdam nifesta , ut in V. Panum , & rur-
sum VII. Panum multiplicatione
*) & rursum alia per Elisæum cen-
tum viris sufficiente , **) item cum
Elia prædicente , hydria farinæ
non defecit , & Lecythus olei non
est imminutus . ***) Iterumque alia
pauci olei continuata in plura vasa
infusio , Elisæo jubente ****) &c.
in quibus non attinet novam ag-
nosceré

*) Matth. c. 14. & c. 15.

**) L. IV. Reg. c. 4. v. 44.

***) L. 3. Reg. c. VI. v. 16.

****) 4. Reg. 4. v. 4.



noscere procreationem, cum per *mechanismum* conversionis de quo mox infra, concipi facilius queant, subrogata scilicet alia materia, ea-que in aliam substantiam cum vir-
tutis accessu mutata.

§. XXXVII.

Et virtus quidem potissimum in ipsa particularum minimarum structura, & affectione conti-neri videtur. Hanc dum re-bus physicis pro naturarum varie-tate summus Conditor jam inde ab exordio impertiit: tamen naturaliter *pro soli, & cœli, seu climatis varieta-te major alibi, atque alibi est virtus physica*, quo scil. elaboratores particulae alio, atque alio in loco fuerint. Ita, Kämpfero perhiben-te, *) *Aſæ fætidæ Drahma una, recens effusa, in Persia haud pro-cul Gamrono, majorem continet virtutem, quam centum libræ sic-cæ illius, quam in Europa ven-dunt*

*) Jasc. III. Observ. 5. pag. 543.



dunt aromatarii nostri. Ita & alia
salubrius alibi , quam apud nos ,
& pauca quædam rectius in Euro-
pa, quam alibi proveniunt. Quan-
to erit Deo facilis , cum suapte
natura hos gradus proventuum exi-
stere videamus , hujusmodi virtutes
physicas eodem *mechanismo* du-
plicare , atque etiam triplicare ,
miscere , atque exaggerare ? in
quo ipso portenti divini manife-
stioris vis *maxima* inest , cum id
ceteroqui ordinarius naturæ cursus
nec soleat efficere , nec in certis
rerum adjunctis ferre possit.

§. XXXVIII.

Abundans illa in tot centena
Hebraeorum millia per desertum
Mannæ copia haud dubie huc re-
spicit. Interim res ex parte pror-
fus physica , & multis in propri-
etatis naturalis duntaxat erat ,
quam nos ob peregrinam , nostris-
que regionibus inusitatam virtutem
tanquam prodigialem miramur. At
qui Itineraria Breitenbachii , Felicis
Fabri ,



Fabri, Tucher, Wormbseri, Neitschitz, & Haranti legit, passim in vallis montium Sinai, & Horeb mense Augusto, & Septembri illud nostro etiamnum ævo colligi intellegit; quod aliquando instar *gummi* concrescit, saporemque dulcissimum habet. Büschingus *) inter cetera memorat, cohortem Abissinorum mille, & amplius ibi iter facientium per duos menses, cum alia deficerent alimera, manna victitasse. Nuper etiam Niebuhrius **) ostendit, non solum in Arabia, sed & in *Kiurdestan*, in *Mosul*, in *Merdin*, *Diarbekr*, & *Issahan* maxime post densiorem nebulam, aut humectatum aërem, quantum quisque Mannæ volet, gratis colligi, & facchari loco adhiberi.

§. XXXVIII.

Præstantissimum illud quod mane excussis alibi quercuum, & alibi

*) Part. I. Asie pag. 407. Geographiæ novæ.

**) In descriptione Arabiæ pag. 145. seqq.



alibi aculeosorum fruticum (a) foliis ante solis exortum colligitur, nam postea, ubi dies incaluit, non equidem corruptitur, sed liquatum coalescit, & quotidie in foliis magis, ac magis densatur. Quæ species cum foliis decerpta, & in aqua decocta instar olei supernat. Alii manna una cum foliis contundunt, quæ deterior est species. Nec tamen ex ære manna deciduum putant ad orientem incolæ; cum alioqui in pluribus viseretur arborum generibus. Nostris quoque in locis alicubi nuper manna apparuit. Igitur cibi genus quidem naturale, ac physicum, nec iis in regionibus alvum solvens; tametsi id quispiam tradidit.

§. XXXIX.

(a) FRAXINUM ORNUM (Haagbuch
wilder Eschbaum) assignant alii.



§. XXXIX.

Sed ea, quæ in S. Pagina *) enarrantur, utique cum physicis virtutibus conjunctam videntur habere manifestam ad quoddam numen divinum admonitionem, tum quod tantæ multitudini cibus ita sufficiebat, ut nec qui minus paraverat, reperiret minus, sed singuli juxta id quod edere poterant; **) tum quod non mensibus Julio, Augusto, aut Septembri, ut alias, atque etiamnum hodie, sed quovis anni tempore, & quidem per tot annos suppeditabatur, quoad de frugibus terræ Chanaan vesci possent, ***) tum quod pridie Sabbathi duplex portio præsto erat, nec Sabbatho verminabat, cum aliis diebus assertum vermibus cito scateret. Quæ proprietas cum ceteroqui in oriente

te

*) Exod. 16.

**) V. 18.

***) Josue V. v. 12.

D



te absit a Manna, satis & hic rursum *mechanismus* corruptionis per immisos vermiculos agnoscitur.

§. XL.

In aliis tan-
tum similiūm
divinatione
attingitur.

Porro idem longe iterum occultius in aliis prodigiis delitescit; quando virtus physica per se quidem effectioni cuidam congruens, his tamen in adjunctis sola nondum sufficeret, nec tanta saltem celeritate rem perpetraret. Ita lotio Naami in Jordane, *) ubi singulare DEI procuratione tot salubres particulæ, quæ alioquin in aqua dispersæ versabantur, in unum vindentur fuisse collectæ, quot ad sanandam protinus lepram sufficiebant, quod adminiculum, latente prodigiī modo, minime idoneum Naaman judicarat. Sic & **) sputum cuim luto illitum cæci nati oculis, tametsi *salivalis* liquor vires phy-

*) L. 4. Reg. cap. 5.

**) Joan. 9.



physicas ceteroqui singulares habeat, per se tamen tantæ curationi par non erat futurum, nisi is, qui virtutem rebus creatis primitus impertiit, eandem & densandi, ac contendendi potestatem haberet. Eodemque referri fortassis & partium aquearum quædam in fronte constipata superficies queat; unde eventus mirifici consecuti sint complures, de quibus mox infra; quia & alias una rationes ad congruendum accessisse suspicio est.

§. XLI.

Quartus modus, qui *transmutatione* peragitur, maxime est mirificus, captumque superat humandum, dum non solum habet resolutionem partium præcipuarum, sed & conversionem in aliam quan-

dam aut substantiam, aut qualitatem, & hoc ipso manifestum quendam mechanismum; perficitur enim immutatione texturæ minimarum etiam partium. Quæ res tametsi sensibus sit abditissima, re tamen

D 2 vera



vera transmutatione id compluribus in prodigiis contigisse, varia monstrant exempla, ut *) conversione aquæ in vinum; **) virgæ in colubrum; ***) fluminum in sanguinem; ****) Uxoris Loth in statuam salinam: partim enim pleraque istorum de nova procreatione ex nihilo explicari non possunt; partim nec opus est, ut Naturæ Arhitectus porro nova quædam producat de nihilo, cum tantum præsto sit materiæ exstantis, ex qua Ille transmutando quidlibet efficer queat. Nam sive locum illum Connoris *****) approbes, cum ait: *observeare opus est, quod particulae unius corporis non discrepant ulla tenus a particulis alterius cuiusvis, nisi quoad molem, texturam, figuram, & proportionem;* ita ut, si elementares partes, ex qui-

- *) Luc. II. 9.
- **) Exod. 7. v. 10.
- ***) V. 20.
- ****) Gen. 19. v. 26.
- *****) L. c. cap. VII. pag. 49.



quibus lignum constat, induant figuræ particularum, aquæ figuræ similes, servata pari proportione, lignum statim in aquam converteretur: sive id illi non lar-giaris, sed moleculas primigenas cuilibet elemento proprias statuere velis: illud tamen quod is porro *) subjugit, inficiari non poteris.

§. XLII.

Dubitandum autem non est, inquit ille, quin tanta sit supremi Numinis potestas, ut cuilibet vel minimæ materiæ particulæ omnes figurarum species vel excavando insculperet, vel incudendo impri-meret. Unde triangulus in cubum, cubus in conum formari, conus in rhomboeidem figuram, rhomboeides in trapeziam, sphœricam, cylindricam, pyramidalem, stelliformem, ovalem, anguillarem, & reliquas id genus figuræ transmu-tari

D 3

tari

*) Pag. 50.



tari possunt. Nec tantum innumeræ figuræ assumere possunt corporis alicujus particulae, sed etiam innumeris modis sibi apponi, & applicari possunt; quæ diversa particularum applicatio diversas texturas efformare apta est, & corpora diversæ naturæ, & effectus constituere. Ut videmus, quod aqua ex eodem fonte exhausta, et per hortum pro irrigandis plantarum radicibus aspersa in mille diversæ indolis fructus abit. Quidam enim sunt fructus acerbo sapore, quidam dulci; alii austero, amaro alii, hi acido, illi mordaci, juxta diversam pororum fructicis texturam, linguae papillas titillant, vel pungunt; etiamque omnes ex uno, eodemque latice fuerint saturati. Cum igitur juxta statutas motus leges aqua sponte sua in varias formas convertatur, haud erit conceptu difficile, quomodo supremus motor — corpora omnia in omnes, in quas ipsi lubet, figuræ, & texturas transmutare valeat. Qua explicatione
in



in re abditissima etiam quasi conceptus aliquis nobis hujusmodi transmutationis subjicitur.

§. XLIII.

Sed alter *transmutationis in aliam qualitatem* nobis multo occultior est *mechanismus*, ubi ma-
nente eadem substantia, nulla apparet conversio, & tamen energia sua naturali corpus spoliatur, aut aliam fortitur; quod tamen, quoniam sine immutatione saltem occulta texturæ non variantur qualitates, hic quoque sine ista non peragi recte divinamus. Ita aqua Mœni gravior, multoque Rheni levior, nec tanto navali oneri ferendo par non nisi per diversas particulas heterogeneas explicatur. Ita igitur & *) ferrum flumini innatans; & **) Christi, ac Petri ambulatio supra maris planitiem

De istis ve-
ro investiga-
tio difficilli-

D 4 hujus-

*) IV. Reg. c. 6. IV. 6.

**) Matth. c. 14. V. 25. et 29.



hujusmodi occultæ immutationi,
 qua deinde & *aequilibrium* aqueum
 ordinarium tollebatur, adscribi,
 ac, minime deimta prodigii prærogativa,
 mechanice concipi potest;
 uti & sedata diu Leonum fames &
 rabies *): nam ubi & homines talia
 in bestiis per varias impressiones
 physicas aliquando efficiunt, &
 in aliis quoque prodigiis admixtæ
 quædam naturales vires apparent:
 quid attinet *hic quoque aliud sus-*
picari? ita adipe ursino clam nari-
 bus impacto molosso quoslibet
 acerrimos brevi facies timidissimos,
 ut nec attingere te audeant. Ita
 pecoris linguam lardo, sapone,
 vel pinguedine liniens abstemium
 illud ab omni pastu feceris; & rur-
 sum lingua rasa cibi avidum resti-
 tues. Quodsi humanitus talia, ig-
 norantibus mira, efficit *mechanis-*
mus: quot modos, motusque mul-
 to faciliores in promptu habet Deus,
 cui

* Dan. IV. v. 22.



eui qualitæs , & motuum causæ ,
nobis fere etiamnum omnes incog-
nitæ , originem debent ?

§. XLIV.

Non sane inficiabor , quin
Deus etiam sine ullo *mechanismo*, Neque hæc
explicatio
quidquam di-
vincæ influxi-
oni præjudi-
cat.
immediate , ac directe solo nutu
gerere quidlibet , & naturæ cursum
sistere , aut suspendere queat. Nec
dissitebor , occurrere in S. Pagina ,
ac præsertim novi Testamenti Hi-
storia prodigia non pauca , quæ
solo jussu peracta videantur , & in
quibus nullum alicujus modi , ac
mechanismi appareat vestigium ,
quæ nobis proinde magis etiam vi-
dentur portentosa. Sed cum Deo
ad suam gloriam nihilo reapse
magis intersit , ut res quaspiam si-
ne *mechanismo* efficiat , quam ut
modum aliquem sive ex prædictis ,
sive alium porro Ipsi soli cognitum
adhibeat : hic jam non quæritur ,
quid possit Deus , sed quid soleat ,
etiam tum cum solus agere vi-
detur.

D 5 §. XLV.



§. XLV.

Nempe etiam tum, cum ait:
*ego faciam rem hanc: aut: ego
 faciam verbum istud in conspectu
 omnis Israel* *) tamen res divinitus
 decretar, ac disposita, nonnisi hu-
 manitus est gesta. Neque cum
 Deus provincias, quibus vult, ad-
 dicit, aut adimit, tanquam supre-
 mus Dominator id facit, sed per
 vias juris naturalis ab se præpa-
 ratas, uti de^o Hebræorum occupa-
 tione Chanaanitidis belle ostendit
 Gattererus **) & tamen merito
 præfert Dĕus, causam horum
 omnium eventuum nonnisi apud se
 esse quærendam; uti & cum timo-
 rem pánicum, aut consilii inopiam
 immitit: ita & alia, quæ olim fu-
 tura multo jam antea Deus prædi-
 xerat, tamen nonnisi humanis ad-
 miniculis ab se administrari ipse
 aliquando non dissimulanter innuit;
 uti

*) II. Reg. c. VI. v. VI.

**) In Synechon, Hist. ex Michaelis sentent.



uti in excidio Samariæ , ac demum
Judeæ ob scelera : *Sibilabit Dominus muscæ , quæ est in extremo*
*fluminum Aegypti , & api , quæ est in terra Assur . & venient . *)*
Itaque quædam loquendi formulæ ,
tanquam Deus solus immediate
perpetraret omnia , non efficiunt
rem , quæ inde coargui videtur ;
cum Deus soleat majorem partem
instrumentis ea dirigere , quæ ta-
men sibi soli merito vult adscribi .

*) If. c. 7. v. 18.



Cum



§. XLVI.

Sectio altera
de Miraculo-
rum in ani-
mo editorum
Mechanismo.

Cum jam hancce de Miraculis
in corpore editis commenta-
tionem absolvisssem: nolui Conno-
ris commentarium illum singularem
ita de manibus meis dilabi, quin &
alia porro quædam, uti de prodi-
giis in animo humano editis, quem
ille statum animæ super naturam
vocat, itemque ejusdem cetera de
humano corpore redivivo, & de
multiplici ejusdem præsentia deli-
barem.

§. XLVII.



§. XLVII.

Primum illud de prodigiis in Connor ite-
animo editis secundum eadem Car- rum rem du-
tesiana principia, quibus Deus fo- plici modo
lus omnia agit in omnibus, facile explicat per
nempe exsequitur; sed perinde ve- actiones Dei
ri avidum non satiat, atque dum in anima co-
per motum in materia omnia non-
nisi divinitus geri contendebat. Utī gitante.
vero motum corporibus, ita animæ
cognitionem indi a Deo affirmat,
ubi exteriora corpora, tanquam
occasio, instrumentumve, sensuum
nostrorum organa pulsaverint.
Hoc itaque posito, per suspensas
naturæ leges facile hujusmodi pro-
digia explicabit, duobus potissi-
mum modis; *si anima cogitet sine
ulla in organis sensuum impressione,*
Deo scilicet immediate cognitionem
elicente, etiam cum causa
*conditionalis, humana, aut corpo-
rea id non requireret: 2. si facta
in organis sensuum impressione,*
anima non cogitet, Deo scilicet
cognitionem non elicente, cum
natu-



naturalis anfa id ceteroqui requiri-
reret.

§. XLVIII.

Alii Philo-
sophi species
infusas asci-
seunt.

Non facile Cartesianis hæclar-
gientur Philosophi alii, tametsi
reapſe circa prodigia in materia
patrata paſſim utrisque inter ſe
pcene conveniat, ut ſupra animad-
verti. Sed circa mirabiles effectio-
nes in animis editas rurſus non pa-
rum diſcrepan: neque enim co-
gitationes illas a Deo ipſo elici,
ſed infundi contendunt: neque,
ubi ad impulſum externum in *or-
gana* nulla tamen cogitatio ſequi-
tur, id eo fieri dicunt, quia Deus
actionem ſuam ſuſpenderit; ſed quia
ſenſus interior fuerit præſtrictus,
aut teneatur captus.

§. XLIX.

At neque il-
la philo-
phandi ratio.

Verum uti in naturali agendi
modo haud fane ſatisfacit indaga-
tioni noſtræ hic perpetuus ad Deum
recursus, cum ipſimet intra nos
ſentia-



sentiāmus, intellectum perinde suas efficere sibi cogitationes, ac voluntas *actus* suos sine alieno auxilio efficere debet, ut sit libera suique arbitrii; & cum *passionum*, inclinationum, ac *sensationum*, & *specierum phantasticarum* mirabilis fabrica, quæ animum ad suas actiones illicit, rursum otiosa, supervacaneaque non possit videri, ut tantum pro causa occasionali habeatur; quæ insuper meram libertatique inimicam afferret necessitatem: hinc etiam in statu prodigioso parum enodat modus per cessationem actionis divinæ, facta licet *impressione*, aut per actionem Dei citrā impressionem externam: neque alter, & alter videri hic modus posset, sed est semper uniusmodi, & uti nihil absolvit modus Cartesianorum naturalis in quotidianis; ita nec modus illi, ut putant, oppositus & contrarius in prodigiosis: sunt enim hæc inter se relativa ac reciprocantia.

§. L.



§. L.

Neque ista
intelligentiae
nostræ sati-
fæcit.

Atqui neque altera explicatio
Philosophorum nostrorum ita arri-
det, ut quidquam in eadem evo-
lutum putemus, sed magis ut im-
plicemur. Quid enim sunt illæ
cogitationes *infusæ*? quam notio-
nem huic voci subjiciemus? Deine
sunt aëtiones, an humani animi?
Atqui istius vires superant; & in
illo ipso prodigium agnoscitur. Er-
go Dei erunt, quod a Cartesiana
explicatione non video quomodo
discrepet, nisi obscuriore quadam
appellatione.

§. LI.

Connoris mo-
dus posterior
negotium non
fæcessit.

In hujus igitur vocis, & mo-
di, quem denotare possit, decla-
ratione maxime elaborandum; nam
modus alter, cum sensus, atque
etiam animorum consilia præstrin-
guntur, minus habet difficultatis:
uti cum *) Syri ad preces Elisei
quodam

*) L. IV. Reg. c. 6. v. 18.



quodam fascinationis genere percutiebantur, ut in medium se ductari Samariam paterentur; item cum *) persequebatur unus mille, & duo fugabant decem millia, consilio hostibus divinitus expectato: aut cum **) Discipulorum Emauntem cum Christo pergentium oculi tenebantur, ne eum agnoscerent: siquidem talia & alias non nunquam, uti in *catalepsi*; seu gravi veterno, aut nimia ad aliquam rem applicatione, humanae menti ita usuviunt, ut aperitis etiam oculis, rem non videamus; eodem igitur exemplo facile nobis modum quempiam fingemus, quo talia effici queant.

§. LII.

*) Deut. 32. v. 30.

**) Luc. c. 24. v. 16.



§. LII.

Alter vero modus obscurus gulares eveniuntur. animum nostrum subire experimur, tunc refugere nisi per impressiones extrinsecus explicatio- nem videtur. factas, nihilque nos scientiae sine studio, sine praeceptis, sine animi labore consequi: quo igitur modo citra impressionem externam animus repente esse certior poterit de rerum variarum, quae alibi geruntur, eventu, atque ita eas enarrare, tanquam eadem oculis usurparet, aut in speculo omnia intueretur, uti cum *) hostiles insidias occultissimas suis prodidit Eliseus; cum Cyri nomen jam tanto antea praedixit Isaías **); cum ignotissimarum rerum præfigia mystica scitissime Regibus interpretantur Josephus, & Daniel; cum repente omni ad fabrefacta scientia, ac dexteritate instruuntur Beseleel de tribu Juda,

&

*) L. IV. Reg. c. 6. v. 8-13.

**) Cap. 44. v. 28.

& Ooliab ex tribu Dan; *) itemque cum homines sp̄itu repente divino completi linguis sibi plane novis loquuntur. **) Enimvero hæc omnem respuere explicacionem philosophicam videntur.

§. LIII.

Nihilo secius, quoad ipsamet Nihilo seci.
S. Pagina duce aliquid consequi fas us & ipse ad
erit, rimabimur. Quatuor item IV. modorum
modi hic occurunt, I. per intelli- species redu-
gentiae acriorem virtutem, dum ab
impedientibus liberatur, & susten- citor.
tatur adjuvantibus, II. per varias
species phantasticas impressas, ex-
pressasque, III. per species vica-
rias in aliis. IV. per quandam qua-
si virium istarum geminationem.

E 2

LIV.

*) Exod. 35. v. 30. seq.

**) Ut Act. 19. v. 6. & Man. 16. v. 17.



§. LIV.

Primus modus per intelligentiam ab intelligentias humanas ferme per se impedienti- aequales ponamus; ut plerique jam bus liberam, solent; earum tamen differentia ab & firmata organis pendet usu, studiove plus minus per politis, ut mentem adjutare facilius queant, quo promptius etiam in simplicissimis quibusque intelligentiam suam exerceat. Itaque positis organis, quae sint ad intelligentiae facultatem divinitus ex porrecta, & contra fatigationem aut debilitatem ob munera (quemadmodum etiam humanis praesidiis talia adjuvari possunt) animus ita instruetus & sapientiae se dabit facilius, & retinebit, colliget, miscetque cuncta felicius, ac proin brevissimo tempore provehetur longius, quam quisquam alias diuturno admodum labore, cui praeterea, quamvis vigilanti, optimae opportunitates morum, regionum, antecessorum, & fortunarum praest non sunt.

§. LV.



§. LV.

Ita Salomonis sapientiam *)
fuse descriptam, quam tamen re-
pentinam fuisse nullibi legimus, ex
tali progressu, & accessione expli-
catæ, tollertissimæque intelligentiæ
facile in conceptum verisimilem
rediges: in quo præterea non sola
intelligentia dat operam, sed &
alia phantasæ, & experientiæ in
cupidissimo sciendi, & opulentissi-
mo Rege, cum Ægyptiis, Arabi-
bus, & Phœnicibus devincto, cla-
rent adminicula. Itaque quæ &
nostra tempestate Linæus aliquis
tum antegressa aliorum industria,
tum suamet observatione, explorati-
us omnia indagando, assequi po-
tuit: hujusmodi multo etiam plura,
quæ jam antiquitus, ut ipse indicat,
erant cognita expolire, & concili-
ando uberiora facere princeps
potentissimus potuit. Porro am-
plitudinem, vastamque comprehen-

E 3 sio-

*) II I. Reg. c. 4. v, 29. seq.



sionem scientiæ, quam *latitudinem cordis* S. Pagina vocat, *sensoria firma*, & tum *exquisite*, tum *congruenter humectata* tuebantur.

§. LVI.

Neque hic attinet inusitatum agen-
di modum Deo attribu-
ere. Atque etiamsi intelligentiam
Deus ipse citra instrumentum ad se
exercitandam cogitatione aliqua
disponere queat; quod enim speciebus e materia natis concedendum est, ut phantasiae ope intelligentiam moveant: hoc Deo ipsi negandum non erit: hunc tamen agendi modum alteri potius vitæ reservatum credo; nam quæ hujus sunt curriculi, vix eorum quidquam reor sine *phantasmate*, & speciebus impressis a Deo cum homine communicatum, nec in ulla regredi memoriam queo, quin istud deprehendam; atque ita mihi satis fiat: alioquin & res aliæ jam isthic in terris effici potuissent.

§. LVII.



§. LVII.

Certe sapientia, scientiaque Cum secundus modus per species impreffas, impreffasque puppetat; nempe vifus præcipue, Beseelel, ac Oolial *) speciebus phantasticis continebatur, quippe circa materiam versans ad excogitandum, & faciendum opus in auro, & argento, & ære sculpen- disque lapidibus, & opere carpenterio — cocoque bis tincto, & ut texant omnia, ac nova quoque reperiant. Hunc præterea modum in prædictionibus maxime rerum futurarum, aut longius loco remotarum invenio; cum velut in imagine arcana talia sanctis vatibus repræsentarentur. Unde & **) prædicitur: *Senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt;* & Petrus talibus jam assuetus existimabat se vatum videre ***), cum reapse id fiebat. Sive autem extrinsecus has species ma-

E 4 te-

*) Exod. 35. v. 30. &c.

**) Joelis II. v. 28.

***) Act. 12. v. 9.



teriales Deus objiciat, ut in linneo Petri *); sive aliunde impressas colligat, suscitet, ac perficiat, ut in Beseelel factum videtur, sive recens sine adjumento sensili imprimit, uti de quibusdam donis Spiritus sancti **) sentire malim; unde & ***) dubitat Apostolus: sive in corpore, nescio, sive extra corpus, nescio: ista tamen varietas non magni hic refert.

§. LVIII.

Et auditus quoque. Interim non solis potissimum speciebus imaginum, sed & soni impressionibus saepius Deum usum sacræ memoriae produnt: ita ****) Non in spiritu Dominus: — non in commotione Dominus: — non in igne Dominus, sed post ignem sibilus auræ tenuis — Ecce vox ad eum. Ita & vox ad Samuelem

*) Act. 10. v. 10.

**) I. Cor. 12. v. 10. &c.

***) II. Cor. 12. v. 2.

****) 3. Reg. c. 3. v. 4.



lem *) & vox ad Ananiam **)
Surge, & vade in vicum, qui dicitur rectus. Porro hujusmodi voices non semper alii quamvis loco conjuncti excipiebant, ita ***) *Antequam egredieretur Isaias medium partem atrii, factus est sermo Domini ad eum:* quam tamen vocem alii non videntur audisse, Ezechia ipso signum quoddam prædictionis requirente, cui alioqui vocis auditio sufficere poterat. Contra ea rursus alias vox quidem communicata cum pluribus, non tamen visio: tales ****) Comites Pauli, *audientes quidem vocem, neminem autem videntes;* cum in hisce extraordinariis impressionibus Deus ita dirigere & species, & sonos queat, proximiusque admovere, ut in intermedium non diffuant.

*) I. Reg. c. 3. v. IV.

**) Act. 9. v. II.

***) IV. Reg. 20. v. 4.

****) Act. 9. v. 7.



§. LIX.

Tertius mo-
dus per spe-
cies vicarias
in aliis: ne-
que enim in
illo dono lin-
guarum.

Hoc pacto facilius etiam ter-
tius ille modus *per species vicarias*
in aliis explicabitur; qui maxime
in linguarum variarum potestate
versatur. Ac vulgo quidem S. Pa-
ginæ loca Marc. 16. v. 17. Act. 2.
v. 4 -- 12. it. Act. 19. v. 6. & I.
Cor. c 12. v. 10. de linguis novis
ita accipiunt plerique, ut eundem
hominem putent plurium linguarum
secundum sonos articulatos æque,
ac eorum intelligentiam repente di-
vinitus compotem fuisse. Quod
cum non modo supra humanam sit
potestatem, sed etiam cum linguæ
humanique ingenii natura admo-
dum difficilem, vixque superabi-
lem videatur conflitum habere:
multo satius erit commodiorem,
siqua in promtu est, explicationem
arripere: præsertim cum illa evi-
tari aliquando ne possit quidem;
nam cum *) tam diverse gentes,
quæ

*) Act. 2. v. 7. & 8.



quæ una aderant , mirarentur :
Nonne ecce omnes isti , qui loquun-
tur , Galilæi sunt ? utique istæ illos
omnes arbitrabantur eadem lingua
Galilæa uti .

§. LX.

Alium vero , atque alium etiam s. Paginæ
alterius linguae compotem esse , enarratio ali-
adeo mirum non erat , cum id ud videtur
etiam naturaliter potuisse contin-
gere . Sed illud erat plane mirificum , unum (atque ita & singulos ,
atque item omnes) diversa loquen-
tem lingua a diversissimis ita audi-
ri , ac intelligi , tanquam locutus
esset sua : hoc enim sibi aperte vo-
lunt hæc verba , Et quomodo nos
audivimus unusquisque linguam
nostram , in qua nati sumus ? Po-
test enim unus , plures linguas do-
ctus interpretem agere apud diver-
sos ; quod fit passim : sed nemo
potest uno sermone omnibus di-
verorum idiomatum simul satisfa-
cere , uti tum fiebat : quam & do-
ctorum hominum post S. Grego-
rium



rium Nazianz. *) & S. Cyprianum esse de hoc loco sententiam video. Et vero cum linguae in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus, **) illud hic potius est arripiendum, quod miraculo est proprius.

§. LXI.

Apostolo igitur v. g. Petro una duntaxat lingua loquente, efformabat Spiritus Sanctus voces alienigenarum singulis proprias, ac congruentes, tanquam species vicarias sermonis apostolici, & ad præsentium aures ita deferebat, prout alias Deus ad homines loquens eorum auribus verba ingerebat; fortassis etiam res per species sensorii auditus internas in auditoribus concitatas posset explicari, quibus congruenter dispositis astantes illi extrinsecus sibi putabant allabi, quod intrinsecus eodem vigore peragebatur uti & per easdem species, quam-

*) Orat. 44.

**) I. Cor. 14. v. 23.



quamquam haud paulo magis cap-
tas, quam expperctis usuvenit, in
sommis nobis videmur videre, &
audire, quæ certe nec audimus,
nec videmus.

§. LXII.

Ita non erat opus, ut singula-
rum linguarum notis tanquam ve-
stigiis tritam phantasiam habe-
rent quilibet Apostoli, quod non
modo, ut diximus, captu difficile
est, primum quomodo tot species
eis tam cito perinde, ut sit longo
usu sensuum, imprimi potuerint;
deinde quomodo cum his specie-
bus verborum *impressis*, sine alia
disciplina conjungere se potuerint
species *expressæ*, seu notiones,
quas ex perceptione sensili per au-
res, conjuncta cum acceptatione
publica, potissimum animus sibi con-
ficit: sed & illud nemo assequetur,
quomodo tot voces omnium lin-
guarum, uti volunt, qui S. Augu-
stinum *) sequuntur, humanum
qua-

Neque lin-
quæ & homi-
num natura
aliam prodi-
gii rationem
pati.

*) In Psalmo 17. &c.



qualecunque ingenium sine fatigacione ac *prægravatione* sensuum interiorum capere, præsertim inter tot alia negotia, sine perturbatione retinere, ac subito, ubi temporarium hoc donum (sic enim autumant) eos deserebat, amittere potuerit.

§. LXIII.

At in ista per *species vicarias* explicatione, facile hæc enodantur: hæ enim verborum species impressæ non erant in *Apostolis*, sed in ipsis auditoribus, naturaliter ab eis olim acquisitæ, sed ad *Apostolorum* preces in eis excitatæ intrinsecus, aut per sonos divinitus allapsos perlatae, quæ excitatio ubi cessabat, cessabant & linguæ. Unde aliquando contigerat, ut, si tali dono sonos edendi, aut verius excitandi prædicti tali pacto loquebantur, ipsimet ignorarent, quid aliena lingua dixissent, nec in sua interpretari id aliis possent: quod in-



indicio est, extrinsecus ab aliis, &
in aliis acceptam fuisse impressio-
nem.

§. LXIV.

Id sane commodius videtur ad explicandum, quam si species verborum impressas eis præsto dicas fuisse, sed non expressas, atque ideo interpretandi facultate eos caruisse, uti Paulus significat: *) Et ideo qui loquitur lingua, oret, ut interpretetur, id est, ut conscientiam habeat notionum in aliis excitatarum, eisdem sibi sua in lingua communicatis: quod proin satis videmus, solutissime accommodari ad eos eventus, ubi non modo Apostoli alia lingua loquentes intelligebantur a diversis alienigenis; sed & ubi isti ad se loquentes illos lingua extera, tamen eodem modo prorsus intelligebant in sua, iisdem notio-

*) I. Cor. 14. v. 13.



notionibus divinitus excitatis in mente , ubi aut necessitatis usus , aut Religionis quædam confirmatio id poscebat . Sanctorum recentioris ævi exempla quædam cumulat Tirinus *); sed ad eandem explicationem nihilo difficilius reducentur ; imo fortassis conjecturam hanc verisimillimam confirmabunt , uti & illud erat , cum uno responso Sancti illi Viri diversos absolvebant , ac dimittebant contentissimos , quod itidem hoc facile referes .

§. LXV.

Nec moror , quod locum Pauli **) sibi arripiunt , cum ille ait : *Gratias ago Deo meo , quod omnium vestrum lingua loquor :* nam hæc postrema Græcus contextus multo aliter exhibit cum aptiore ad reliquum sensum , & propositum cohærentia , ubi sic leguntur ,
Gra-

*) In Comment. ad cap. II. Act. Apostolor. v. 18.

**) I. Cor. 14. v. 18.



*Gratias ago Deo meo, quod omnibus vobis magis linguis loquor: id est, quod uberiore linguarum ad exterios dono tum excitationis, tum interpretationis sum præditus, quam vos omnes; nec tamen illo utor ad mei quandam commendationem; sed solum ubi magni interest. Unde & tempori, ac ingenio consentaneam doni parcitatem ostendit Apostolus *): Nunquid omnes linguis loquuntur? & sic itidem S. Chrysostomus, qui quidem linguas putat ipsis Apostolis suppeditatas, **) sed tantum earum gentium, quibuscum singuli versabantur, linguis instructos eosdem existimat.*

LXVI.

*) I. Cor. c. 12. v. 30.

**) Tom. V. Orat. 40.



§. LXVI.

Videntur &
locum habere aliquando species inter-
ius duntaxat impressæ. Quod si quidem vel omnes spe-
cies prætermittas divinitus impres-
fas, quas in universum haud præ-
fracte negem, sed tantum nec sem-
per necessarias, neque non multo
congruentius aliter supplendas pu-
to: tamen facilius etiamnum hanc
rem conciliabis, si conjungas &
primum modum intelligentiæ luci-
dus collustratæ, & tertium excita-
tarum phantasiæ specierum, quas
jam pridem acquisiverat quisque,
& addas modum porro aliud per
Angelos, seu *Spiritus* interius *or-
gana* dirigentes, quod itidem in
quibusdam eventibus prorsus re-
spuere nequeas; neque enim Deo
unicum duntaxat assignare modum
velim; sed pro variis rerum ad-
iectis varium: nec proin isthic
philosophica explicandi discrepan-
tia culpanda erit, cum rem quidem
ipsam conservemus.

§. LXVI.



§. LXVII.

Certe, quando exempla abunde exstant in morbo potissimum melancholico variis linguis subito loquentium, quorum recensionem ex Apponensi, Chiliadum Auctore, Pomponatio, Fontecha, Erasmo, & aliis confer apud Gasp. a Rejes *), quæque, cum omnis illa lin- guarum facultas Medicorum curatione iterum intercidisset, aut cer- te nonnisi temporaria esset ad morbi spatium, aut excessum, nonnisi insidenti cuidam spiritui alteri, po- tissimum malo, tribui posse, idem **) ostendit: etiam a bonis Spriti- bus corpora obtainentibus ejusdem- modi facultates in *organa*, aut in aërem circumfusum agendi non ab- esse facile dabimus: & si tergiver- semur, præsto est exemplum Za- char. IV. v. I. *Et reversus est Angelus, qui loquebatur in me,*

F 2

&

*) In Elysio jucund Quæst. 27. quæst. n. 9.

**) Ibid. num. 37. & 38.



E suscitavit me &c. Igitur aliquando & hic modus locum habere queat (a).

§. LXVIII.

Taque ex-
plicatio trans-
ferenda ad
linguarum
varietatem
babelicæ mo-
litionis tem-
pore indu-
stam.

Sed prior ille modus per spe-
cierum in aliis jam insitarum exci-
tationem, proposito congruentem,
multo crebrior, ac forte item ad
portentosam illam linguarum mis-
cellam Babyloniam commode trans-
ferendus: nam esto, voces, ac so-
ni articulati, tanquam species usu
impressæ, iidem fortassis manserint
in

(a) Et quod posse *Aegelum* citra spe-
cies pluribus sensibus tunc primum
impressas jam facile largiemur,
idem utique Spiritui Sancto nihilo
gravatus tribuemus, ut five sonos
exteriores, five interiores *phantas-
ticos*, cum animo se communican-
tes, excitet, five ipsem per in-
strumenta humani corporis etiam
ad alios loquatur, nullis ceteroqui
intrinsecus imaginibus ad prægra-
vandam mentem reliquit.



in hominibus, qui fuerint antea:
tamen vel solis intrinsecus commu-
tatis speciebus *phantasticis* notio-
num antea familiarium alia, atque
alia inde in familiis nasci lingua de-
buit: nam vel solis variatis com-
pluribus significatibus primitivorum,
uti, numeris arithmeticis transpo-
sit is, aliud computum proveniet,
ita & in sermone alia mixtio, alia
porro derivatio, alia compositio,
alia structura linguae, temporis fal-
tem progressu, accessuque rerum
porro iterum magis, ac magis va-
rianda, orietur.

§. LXIX.

Jam quidem alibi in meo de linguae origine commentario cui lu-
cem publicam, si superi o ent, hic queat respui.
In qua ger-
mani prodigi-
gli ratio vix
queat respui.
annus dabit, fidenter contendebam,
in illa de variarum ad Babelem lin-
guarum ortu enarratione Mosaica
prodigium evitari non posse, si to-
tam rei, & verborum seriem in
consilio habeas, ac præterea citra
immixtionem cujusdam diversi lin-
guam fuisse etiam variis in terris

F 3 unius.



uniustmodi mansuram. Interea vero Hildburgshusii an. 1774. Wilhelmus Fridericus Hetzelius in *Commentatione de Babylonica urbis, ac turris Structura novam sibi explicationem reperit*, dum *) molem conjectat ibi ab Assuris potissimum familia conditam variis de causis fuisse. Sed oborta vehementi tempestate, tanquam novo *phænomeno*, fulminumque, ac tonitruum vi territos structores Deum putasse operi suo iratum, omissoque ædificio in alias se plagas contulisse. Linguarum deinceps discrimina qua climatum varietati; qua novarum rerum accessionibus deberi. Interim cum ejus diversitatis causam suæ digressioni tribuerent, hæcque originem ab illa gravi procella, tanquam ab *epocha* singulari duxisset: eam rem ita singularē Nemrodo, qui locum postea occuparit, exædificariisque, esse visam,
ut

*) Pag. 29. et seqq.



ut nomen Urbi a prima varietatis
in linguas introductæ ansa ficeret.

§. LXX.

Valeant ex his conjecturis non-nullæ, utcunque possunt: at præcipuis, quæ comment. cit. confessi, argumentis expediendis nullo certe pacto sufficient. Illud quoque, quod de naturali linguae uniusmodi conservatione observabam, ipsem Hetzelius videtur, quanti ponderis sit, animadvertisse, dum *) fatetur, linguam sibi relictam fuisse eandem permansuram, si jam perfectionem suam fuisse affecuta, nec, licet in diversis climatum sedibus, notabilem varietatem subituram. Sed, dum magnam illius primi sermonis egestatem in appellationibus, & loquendi formulis arguit, potuisse illam perbrevi tempore magnopere immutari censet. Atqui primam illam linguam a bis

F 4 mille

*) Pag. 30.



mille & amplius annos (tale enim ævum consequitur, dum & ipse *) Samaritano *Contextui* mecum in-hæret) satis puto videri debere in-veteratam, & inter tot homines, tanti etiamnum post diluvium ævi, utique satis omnibus loquendi for-mulis ad naturalem ubertatem, qua ideas omnes exprimere ipsa in-doles nos docet, omnino jam perductam. Neque graviora erunt argumenta J. C. Bonneti in *Dissert. de Facta Mirabili ad Turrim Babelicam, Linguarum Confusione ***): quam Hetzelius ab se potioribus illustrata-m argumentis putat. Igitur hæc ubi non satisfaciunt, præstabit om-nino illam per species phantasiæ conturbatas explicationem arri-pe-re. Esto vero abuti, vel potius non tanto, quo par erat, fenore uti *Spiritus Sancti donis* quidam
Apo-

*) Pag. 50.

**) Ad Gen. XI. I. seqq. edita in Bibliotheca Bremensi nova class. III. Fasc. III. pag. 145 -- 562.



Apostolo Paulo *) videbantur:
nonne & Josue, Vir certe inspira-
tione ceteroqui divina actus **)
quosdam veluti erraticos corrigi
cupiebat, qui id ipsum doni tamen
divinitus acceperant?

§. LXXI.

Sed hoc eodem in loco quar-
tus quidam modus per quandam
quasi virium, prædictarum, quibus
in animum agitur, aut actio leva-
tur, geminationem; quæ proinde
ferme ad superiores species referri
potest: sed habet tamen singularem
quendam modum conjunctionis, &
veluti coacervationis plurium; quod
satis patet ex hujusce doni ablatio-
ne, aut cum aliis communicatione
uti cum ***) ait Deus: *Auferam*
de Spiritu tuo, tradamque eis, ut
sustentent tecum onus populi, &

Quartus mo-
dus per quan-
dam virium
istarum ge-
minationem.

F 5 non

*) I. ad Cor. c. 14.

**) Num. II. v. 19.

***) Num. XI. v. 17.



non tu solus graveris. Ergo & prægravari aliquando homines, licet donis iis instructi, & suffulti poterant, & *) Eliam rogat Elisæus. *Obsecro, ut fiat in me duplex spiritus tuus.* Qui respondit: rem difficilem postulaisti. Satis hic agnoscimus, nullam animæ duplicacionem designari, sed donorum duntaxat in plures partitionem, aut veluti transfusionem.

§. LXXII.

Divisio ad-
mirabilis, ac nifesta quædam divisio,
multiplex cor-
porum, etiam solam in multiplici ejusdem corpo-
eorundem ge-
minatiōni ob-
secundare po-
test.

Est igitur in his omnibus ma-
joribus, ac nifesta quædam divisio, quam &
porum, etiam solam in multiplici ejusdem corpo-
eorundem ge-
minatiōni ob-
secundare po-
test. Connor **) qui sic habet:
*Concipere tamen haud potui ulla-
tenus, quod idem corpus huma-
num cum tota sua materia, aut
mole posset esse in pluribus locis
in*

*) L. IV. Reg. e. II. v. 9.

**) Lib. cit. cap. XIV. pag. 121. & 122.



in eodem tempore. Nec etiam ullo alio modo hactenus allato multiplicem posse esse ipsius præsentiam reperi. Postquam autem in Medicinæ Principiis versatus, materiei naturam, differentias, & figuras perpenderim; postquam Chymicæ ope elementares corporis humani particulas, terrae nempe, Aquæ, Salis, & Sulphuris Atomos inspicerem; postquam anatomes auxilio corporis humani fabricam ex vasculis, & fibris vascularibus totam contextam esse reperirem, postquam in humorum texturam, circuitum, & effervescentiam inquirerem, nec non mirum ipsius ex pusillo germine ortum explorarem; post diuturnum, inquam, per de vias naturæ salebras scrutinium, dum forte de exilibus Embryonis staminibus, & de diversis nutritio nis gradibus cogitarem, claret tandem, & perspicue concepi, quod meum, vel Theobaldi corpus, operante Numinis potentia, novo quodam, sed unico tantum modo, & in peculiari quodam sensu, ita
vere



vere multiplicari posset, ut integrum, & vivum posset esse in pluribus diffitissimis locis in eodem temporis momento, non tamen cum solita magnitudine.

§. LXXIII.

Non tamen
itidem ani-
mæ ejusdem
geminatio-
nem Connor
recipit.

Quamvis tamen conciperem,
quod Theobaldi corpus posset esse
in pluribus locis in eodem tempore
vivum & integrum: concipere haud
potui, quod anima ipsius, seu
spiritus cogitans, quod inquam
ipsius persona, seu totus ipse Theo-
baldus posset esse in duobus locis
in eodem tempore; quin imo re-
peri, quod unus homo non potest
esse in duobus locis in eodem in-
stanti.

§. LXXIV.

Qui corpo-
ris vitam non
in anima, sed
in statu vita-
li vicerum
si tam autu-
mat.

Vivum corpus, etiamsi anima
deforet, propterea ille afferit; quia
*) contendit, animam rationalem
non

^{*)} Cap. 15. pag. 125.



non esse causam motuum vitalium
in visceribus, nec proinde veram
corporis vitam in ea reponendam,
sed hanc *mechanica* corporum
structura, & fluidorum motu
unice conservari, & sic etiam
*) tres tantum ministros animæ,
tanquam instrumenta, subservire
statuit, nempe *Spiritus animales*,
quinque sensuum organa, & mu-
sculos, qui habent antagonistas;
cor enim, diaphragma, muscu-
los respirationis, & ceteros,
qui non habent antagonistas, im-
perio spiritus non subjici: & in
his vitam inesse: nam, ut ite-
rum idem, **) fibræ omnes mu-
sculares sanguine, & spiritibus
semper turgidæ, tensæ sunt, &
quasi contractæ; contractis autem
pari virium robore fibris antagoni-
stis, pars, cui affiguntur, uti ma-
lus nautica oppositis rudentibus di-
stracta, flecti, extendi, aut ali-
qua versus moveri non poterit, sed
in constanti quodam contractionis
aequi-

*) Pag. 138.

**) Pag. 142.



æquilibrio immota retinebitur. Si autem jussu animæ major fluidi nervæ copia a cerebro demittatur ad unum musculum, quam ad alium, ad extensem nempe musculum, quam ad flexorem, extensor geminato contractionis impetu renitentiam antagonistæ superabit, & partem extendet.

§. LXXV.

Tametsi vero hoc pacto corpus vivum ponat multiplicari posse; animam tamen negat pluries posse existere, quia neque dividi, ac transferri alio queat, nec *reproduci*, ac rursum creari: quod alterum tamen nimis quam obscure opugnat; cum posset planius dicere, necessarium eo pacto fore, ut res prorsus contrariae in unum convenirent; nam quando animus semel productus rebus factis non potest aut carere, aut esse vacuus: sequitur, ut animus citius procreatus res gesserit, quibus recentius procreatrum interfuisse, ac proin eundem esse merito negabis. Respondeat



det ad hæc quidem Horvatus *),
ut res in quodam loco existens
„ incipiat simul alibi quoque exi-
„ stere, non requiri aliud, quam
„ ut præter eum localem existendi
„ modum, quem obtinet, acqui-
„ rat alium, & utrumque cum
„ eodem temporis momento con-
„ jungat. Quod sane non repug-
„ nat, ut plura momenta tempo-
„ ris cum uno, eodemque reali exi-
„ stendi modo a quopiam materiae
„ puncto conjungantur. „

§. LXXVI.

Atqui hoc ipsum est, quod nemo
sive exemplo sive cogitando assequi-
tur quanam etiam divina potestate
queat anima citra divisionem, transla-
tionem aut novam productionem ali-
um quoque existendi statum acquire-
re, atque eodem tempore conjunge-
re. Alterum de pluribus temporis mo-
men-

*) In Institutionibus Metaphysicis pag. 113.
§. 203.



mentis, quod exemplo ponit, tam est naturale, ut nemo mirari queat; nil enim aliud requiritur, nisi continua ejusdem rei duratio.

§. LXXVII.

At rei individuae in maximis intervallis multiplicatam *existentiam* sine partitione, ac translatione re nulla coactus, aut nova procreatione nemo sane sibi fingere potest, cum saltem naturaliter non obtineri, nisi priore illo modo queat: nam quidquid existit, non potest, nisi in aliquo loco suae extensioni respondentem existere; alioquin existeret nullibi, ac facile quidem dabo, rem natura sua individuam extensionem quoad locum posse capere, si eam secundum naturam corpoream alterius naturae dimicari. At extensionem rei individuae sine intermedio sive per saltum, sive per translationem omnis humana cogitatio respuit; quia sine partitione rei, quæ, ut existat,



stat, locum sibi affixum habere debet, concipi non potest.

§. LXXIX.

Itaque Connoris Philosophiam aspernari nequeo; nec erroris illum videtur *Ecclesia* damnare, dum certe *Corpus Christi vivum* præsto esse in *S. Eucharistia* haud negat; atque ita *S. Paginæ omnino* satisfacit. Quali autem *unione Christi Anima* cum tot veluti corporibus ibi devincta sit, explicare *Ecclesia* non curabat; sed suorum ore, ac captu Philosophorum tum ferme loquebatur; qui præter corpus & reliqua adesse per *concomitantiam* arguebant, quanquam & ipsimet non satis circa animæ actiones concordi inter se se doctrina. Satis autem fidenter pronunciant Theologi, nihil novi ad patefacta jam olim Religionis capita asciscere posse *Ecclesiam*.

Nee proin
corpus Christi
vivum in
S. Euchari-
stia desidera-
ri patitur.

§. LXXX.





§. LXXX.

Qua de re
nihil ^{vetus}
Ecclesia ex-
plicatius vi-
detur tradi-
disse.

Certum item sumas licet, de
hujusmodi *unionis systemate*, uti
philosophice concipi queat, im-
pertiendo, nedum sanciendo, nun-
quam sua tempestate veteres *Ecclesiae Antisitites* cogitasse; sed pri-
mum posterius rem ab schola qua-
libet suas ad partes fuisse accom-
modatam. Neque vero scholæ hu-
jusmodi medio ex ævo, neque sin-
gularis cuiusdam viri, esto etiam
Pontificis, secundum acceptas sen-
tentias loquentis, tanta hic esse
potest auctoritas, ut ea nobis ist-
hic dogma catholicum statuat; cum
satis constet, primitivam *Ecclesiam*
res cæcas mysteriorum non ad Phi-
losophiam exegisse, sed in sua ob-
scuritate relietas, & tantum secun-
dum caput rei acceptas in subtilio-
res alios *Fidei* articulos haud por-
ro discriminasse, ac proin neque
per *Traditionem* hoc pacto aliud
quidpiam ad nos ab illis defluere
potuisse.

§. LXXXI.



§. LXXXI.

Quodsi igitur integerrime salvo Philosophi-
dogmatis capite præcipuo, atque ce vero ex-
examissim cunctis, quæ ab eo pen-planationes
dent, respondentibus, commodius, variare inter
quam medio ævo sit factum, ali-se salvo dog-
quid explanari sine rationis, & na-mate queant.
turæ ingratia, atque offensione vi-
deatur posse: jam illud damnare
non ausim: nam rationes, quibus
adversarii quidam hæc oppugnare
possent, & ad difficultates, eisdem
inde oborituras, effugiorum recessus
tamen ab Philosophia potissimum
pendebunt. In dogmate certantes
utriusque consentiunt: Philosophia
autem ambigua, & bifariam patens
adversus *orthodoxiam* erroris ne-
minem hic reum peragere potest.
Igitur cum in hac explicatione nec
temere, nec sine status physici co-
gnitione penitiore, etiam sine ani-
mæ geminatione varia, Corpus
Christi semper ponatur vivum, sem-
perque verum maneat: *Christus —*
jam non moritur; mors illi ultra
non dominabitur, Rom. VI. v. 9.

G 2

illa



illa animæ multiplicatio incredibilis,
ac, ut videtur, plane repugnans,
& sine alio S. Paginæ indicio tan-
tum ad asserendam divini Corporis
vitam gratis assumta, fiet nunc
etiam superflua.

[§. LXXXII.]

Ubi porro
commodior
suppetit con-
ciliandi ratio
esse mortem Christus indicat: Non
supervacanea
fit illa, quæ
incredibilia
esciscit.

Certe non quamvis animæ
separationem a corpore dicendam
est mortua puella, sed dormit *);
cum anima etiamnum illi corpori
maneret addicta: quæ moralis est
unio; uti & in illis, de quibus
Matthæus **): *Multa corpora
Sanctorum, qui dormierant, sur-
rexerunt: ubi certe anima tantisper
abfuit.*

§. LXXXIII.

*) Matth. IX. v. 24.

**) Cap. XXVII. v. 52.



§. LXXXIII.

Porro si anima, ut volunt, qui hic eleganter philosophari sibi videntur, multiplicata queat ad plura loca intervallata habere existendi *relationem*; quo illi obscurissimo se tuerentur argumento; (an verius conjectatio?) quidni & corpus multiplex ad unam in celo animam, cui se revertens per vires materia alterna varietate restituat, *relativam* quandam habere queat *unionem*, saltem *radicalem*, ut vocant, ac donis mirificis una accendentibus summe *moralement*; quin plusculum exprimi ex divinitus patefactis fidenter queat: maxime cum nullum ceteroqui geminatae aliquando animae divinis in litteris ullibi exemplum constet. Res quasdam alias hoc eodem in Mysterio non inscite Petrus Varignonius explicat apud Niceronium *).

G 3 §. LXXXIV.

*) In ejus Vita Tom. IX. edit. Germ. Halæ Sax.



§. LXXXIV.

Atqui ad Interim reor, si quis has, quas
condemnan- dum jam & addidi, expolitiones asciscere velit,
potius gravi- etiam Connoris sententiam contro-
ora require- versia, & offensione carere posse;
rentur argu- menta. Inta- tametsi ille *) verecunde subjungat:
rim & hæc salvo melio- Quidam —, qui perspicaciori tru-
re judicio di- tina hanc sententiam perpenderunt,
sta lunto, qui eandem cum stabilitis jam op-
nionibus compararunt, ad minu-
tissima quæque ipsam latius exten-
derunt; cum a reliquorum omnium
sententia ipsam penitus discrepan-
tem reperirent, existimarunt, quod
novis inter Litteratos litibus,
bellis intestinis, &c., nescio quibus,
non forsan tumultuosis, erroribus
originem daret. Atqui non video,
quænam hic lites expergisci que-
ant, cum, si quis fortasse verbo
cuidam nimis anxie inhærens diffi-
cultatibus propositis aliter secun-
dum sua scita occurrentum putet,

id

*) Pag. 123. sub capit. finem.



id ei integerrimum reliquatur: ad alterum vero erroris condemnandum in re perplexa, arcana, bifariamque accipienda aliquanto plusculum requiratur, quam fastidiosum supercilium; semperque in his satius sit, assensiones etiam suas suspensas retinere, quam in alios temere animadvertere.

§. LXXXV.

Interim statum quasi quæstionis quendam hocce situ adhuc incerto proponere haud quidquam noxiū, & multis non ingratum videbatur. Judicent alii, quibus fas erit. Ego alios quidem excusare semper, quoad possim, me assuefeci; quod ad me ipsum vero attinet, sententias potius tritas, & palam Ecclesiae usu ratas, quam periculosas sequi; que mihi tamen isthic tales non videntur; quia servata corporis vivi ratione dissensio in re tantum philosophica, non in orthodoxa insistit: ac quantum ad Philosophiam respicit, Connoris

G 4 opi-



opinionem etiam verisimiliorem
mihi fateor videri.

§. LXXXVI.

Tum vero & illud autumo,
neminem fore, qui nobis common-
stret, mentem *Ecclesiæ* sive veter-
is, sive intermediæ legitime con-
sentientis eam fuisse, ut Christi ani-
mam eodem pacto, ac corpus
realiter multiplicatam statueret.
Quodsi ita illam sensisse, ac decre-
visse me quis edoceat: tum ratio-
nibus ceteris omnibus valere jussis,
haud dubie illius Scita præ Conno-
re amplectar, si hic ab illis dis-
sentiret.



§. LXXXVII.



§. LXXXVII.

Mantissæ loco subjungo breviter excerptam, nec minus ingeniosam, quam sit illa quorundam Newtonianorum de *Compenetratio-*
ne corporum supernaturali apud Joannem Horvathum *), ejusdem Connoris explicationem philosophicam **) de humano corpore redivivo; in qua pleraque ad tertium in materialibus modum pertinent.
In primis quidem, tametsi ponas

Aceedit man-
tissa de statu
corporis re-
divivi,

G 5 cor-

*) Lib. cit. cap. 4. pag. VII, §. 200. &c,

**) L. C. cap. 13;



corpus quoddam ante quater mille
 annos in mari demersum a piscibus
 in frustulorum myriades disceptum,
 & a pisce in pescem saepius trans-
 missum, ita ut etiam minutissimæ
 terræ, aquæ, salis, & sulphuris
 athomi elementares non modo a
 se mutuo jam dudum dissociatæ to-
 ti oceano innatent, sed & quædam
 ad telluris superficiem cum vaporî-
 bus, & fontibus elatæ sint; quædam
 ex superficie terræ vegetantium ra-
 dices subierint; quædam forsan cum
 vegetantibus in animalia in pascuis
 transferint; imo per tot mutationes
 trajectæ amissa etiam, attritaque fi-
 gura sua, & natura in aliud ele-
 mentum transferint: recte tamen,
 sciteque observat, summum rerum
 Conditorem, cuius potentiae rebus
 omnibus insitæ, cuius præsentia
 ubique diffusa, cuius scientia ad
 omnia, etiam minutissima, pertinen-
 ti nullus ascribi terminus potest,
 scire, in quibus porulis, vel cryp-
 tis lateant, in quibus fluminibus
 fluctuant, in quibus atmosphæræ
 partibus natitent, in quibus demum
 mundi



mundi plagis omnes hujus immersi corporis particulæ, & particulæ fragmента locata sint, quæ in unum acervum accumulata ita poterit in statum pristinum reducere, ut primum hominem ex informi telluris gleba construxit.

§. LXXXVIII.

Non paucas tamen requiri conditiones monet, ut ex coacervatis his particulis idem numero corpus redintegretur. Debet enim primo una, eademque numero esse materia, eadem elementorum, terræ, aquæ, salis, & sulphuris proporcio. Debent hæ partes eundem servare situm, nec in caput, & artus abire illa, quæ olim truncum constituebant: secus non erit idem pes; non eadem manus.

Quænam ad
ejus integrati-
tatem perti-
nere videan-
tur, exponi-
tur.

§. LXXXIX.

Evidem non dissimulat, quosdam affirmare, corpus nostrum saepius immutari, & novum quid ab alieno-



mentis indies ingestis arcessi. Continuo enim e toto corpore effluvia foras exhalari, & novas particulas nutritione suppeditatas illorum in locum succedere: unde hanc esse continuam nostri corporis regenerationem; ita ut nulla portiuncula materiae, qua corpus ante septen- nium constabat, & idem tamen homo remaneat.

§. XC.

Hoc tamen argumentum Con- nori non arridet, qui solidas par- tes, & organicas autumat perpetua vita manere nil immutatas; quia ossa quædam videamus manere pluri- bus fæculis inter ventos, ac plu- vias incorrupta, ac proin multo magis intra carnes, ac membranas inclusa accessionibus variari. Quæ mihi ratio, cum ceteris, quas pro- fert, nihil evincere videtur, cum non modo in crescentibus alia ad- mittenda sit etiam ossum vegetatio, sed & propter eandem corporis fabricam itidem in ceteris.

Illud



§. XCI.

Illud tamen non inscite contendit, ut idem resurgat corpus organicum, non esse opus, ut easdem omnino habeat dimensiones, aut molem, aut pondus, nec proin eandem materiae quantitatem; sed ut habeat eandem materiam cum eadem organorum fabrica, situ, & numero. Imo illud prius aliquando ne obtineri quidem posse, hoc argumento sibi videtur confidere. Ponamus, inquit *), amplissimam quandam planitatem, in qua ducenta hinc inde hostilis exercitus millia æquo certamine acrius pugnarunt; esto, quod post contumax, & acre prælium centum mille homines ex utraque parte perierint. Et vero in Ægypto ubi calvariae Persarum, & Ægyptiorum in acie cadentium non sine animadverso ex calvariis utriusque gentis discrimine diversis utræque juge-

*) Pag. 102.



jugeribus etiamnum Herodoti æta-
te, ut ipsem prodit *), stratae
jacebant, rem factam habes: quid
dicam de campis Marathoniis, de
præliis Alexandri, Sullæ, Cæsaris,
Probi Thimurlenghi, &c.? Sepe-
lianturn' deinde (pergit ille) cada-
vera, non in uno tumulo, sed per
campum passim pro fœcundanda
tellure dispergantur; unumquod-
que cadaver effossa leviter gleba
cooperiatur. Hoc quoque mos ve-
terum, ut constat, pluries tulerat,
aut necessitas acceleravit (a). Muro
cingatur spatiolum hocce cœmete-
rium, & in duas partes interposi-
ta sepe dividatur: quod isthic non
additur necessitatis causa, sed ad
faciliorem indidem ineundum com-
putum, ac ceteroqui inoffenso re-
liquo systemate prætermitti posset.

Una

*) L. III. n. 72. pag. m. 162.

(a) Unde Virgilii L. I. Georg. v.
491.: Nec fuit indignum superis
bis sanguine nostro Emathiam, &
latos Hæmi pingue scere campos.



*Una pars, inquit, arata fructus,
Et frumenta proferat, altera pa-
scat pecudes; quibus in pascui me-
dio excavabitur fons epotandus.
Dubio procul hic campus humana
carne sic saginatus copioso frumen-
to, Et petulante pecude luxuriabit.
Sint plures familiæ, quæ per cen-
tum, aut ducentos annos nullum
aliud alimentum sument, nisi quod
ex hoc agro desumetur; Et quæ
præterea solæ totum id alimenti
consument, quod ex hoc campo
enascetur. Hoc itidem rursus mi-
nime fictitium, sed ex viciniæ hu-
jusmodi opportunitate in stabiliū
familiarum ditionib⁹ admodum na-
turaliter proclive agnosces, ac
proin factum saepius, quamquis-
quam rerum præteritarum ignarus
conjectet. Sume, si vel Huronos,
& Irokios dimittas, duntaxat in
manus Lexicon Bellorum & Fede-
rum notiorum Norimbergæ 1734.
editum.*

§. XCII.



§. XCII.

Materia, seu elementa corruptorum cadaverum, persequitur Connor, in armenta, & vegetantia transibunt, & ex his utrisque in homines, qui iisdem vescuntur, atque ita substantia, seu corpora ipsorum aliqua ex parte ex putrefactis cœsorum hominum cadaveribus constabit. Supponamus hos omnes post mortem ad vitam reddituros; vel supponamus aliquem Anthropophagum humana carne toto vite curſu pastum post obitum humi sepultum, & post multa sœcula redacto in pulverem corpore, ad pristinum vitæ statum redditurum, & redditura pariter corpora eorum, quibus ipse, & memorati jam antea homines pasti fuerunt: certum erit, quod vel sarcophagorum corpora, vel corpora comeditorum hominum rediviva aliquid de pristica materia carebunt; ac proinde alterutra cum minori, quam olim materiæ quantitate, & mole resurgent. Omnes tamen erunt



erunt completi homines, & integris corporibus donati.

§. XCIII.

Non autem homines cum tricenarii statura resurrecturos automat, cum alioqui infantium corpora non nisi aliena, & heterogenea materia augeri possent. Cui autem usui? Sed huic argumento non multum ego tribuam, cum vel similitudo cum genere humano reliquo majorem requirere molem videatur, atque infantium corpora materiem gloriose illi, ut vocant, transformationi sufficientem afferre ob divisibilitatem mirificam queant.

§. XCIV.

H



§. XCIV.

Neque illud quidem Connori assentiri velim, quod *) suspicatur, cum eadem materiæ quantitate, cum qua primo nati sunt, homines resurrecturos, siquidem non major requiratur materiæ quantitas ad animæ reditum, quam olim, ut in prima generatione ipsi associaretur, necessaria fuit. Atqui reviviscent, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum, sive malum**), quod non convenit in corpora infantium, sed adulterorum.

§. XCV.

Nee id alterius vitæ ratio feret.

Quoniam vero argumenta, quæ eandem prorsus materiæ quantitatem non semper impetrari posse coarguunt, minime contemnenda sunt,

*) Pag. 107.

**) II. Cor. V. v. 10.



sunt, & aliis præterea in redivivo corpore erit status, multis non indigens, quibus nunc carere haud possemus, aliquanto facilius *Connori* de omnibus hisce quæstionibus, etiam ubi ei refragamur, præclare nihilo secus ceteroqui merito, largiar, non cum omnibus partibus corpora resurrectura, sed superfluas, ac redundantes absfuturas, ita e. c. dum redivivum hominem putat non manducaturum, nec opus ei alimentis fore: etiam digestionem, aut sanguinis reparationem; ac proin etiam humorum recrementiorum aut exrementiorum a sanguine secretionem, aut filtrationem nullam futuram conjectat.

§. XCVI.

Hinc sequitur, non fore necesse, ut in corpore ad vitam reduce *Pharynx*, *Oesophagus*, *Stomachus*, *Intestina*, *Mesenterium*, *Pancreas*, *Jecur*, *Lien*, *Renes*,
H 2 Ve-



Vesica, Partes genitales utriusque sexus, Thymus, Parotides, Amygdalæ, Glandulæ illæ (præter cerebrum) aut filtra, Adeps, Lymphæ ductus, aut ulla Vasa excretoria, præter nervos redintegrentur. Imo ne partibus quidem respirationi dicatis opus fore automat: quo paetto *Larynx, Trachea, Arteria, Pulmones, Diaphragma, Costa, Pleura,* & omnes respirationis musculi nulli in redivivo corpore usui erunt futura. Quæ si aërem ponas in cœlo empyrio jam nullum esse, haud forsan gravate admittes.

§. XCVII.

Eodem rear & illud Christi pertinere, præposteras ex hujus vitæ statu de futuro opiniones suggillantis *) : Illi vero ; qui digni habebuntur sæculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubunt,

*) Luc. XX. v. 35. & 36.



nubunt, neque ducunt uxores, neque ultra mori poterunt. Nihil autem dubito, quin ista legentibus, qui Dei Opera ceteroquin obiter, atque in superficie transmittere soliti erant, hæc interior rerum evolutione majorem sit reverentiam incussura: tantum abest, ut reddere queat temerarios.



Emendatio Erratorum.

In Pagina 30 linea 3 lege unicum pro unicam. In pag. 31 linea 21 lege ac pro ec. Pag. 32 lin. 6 dentata — dentats. Pag. 45 lin. ult. in Amœnit Exot. Fafc. pro jafc. Pag. 52 lin. 11 leg. Architectus pro Arhitectus. Pag. 58 lin. ult. Iege Synchron pro Synochon. Pag. 69 lin. 20. leg. cognita , pro cognita. Pag. 71 in margine leg. expressasque pro impressasque. Eadem pag. lin. 2 leg. Ooliah pro Oolial. Pag. 74 in marg. leg. linguarum pro linquarum. Pag. 77 in marg. leg. linguæ pro linquæ. Pag. 79 lin. 13 leg. eisdem secum pro elsdem sibi. Pag. 84. in nota leg. Angelum pro Aegelum. Pag. 88 lin 1 leg. annis pro annos. Eadem pag. lin. ult. Claff. pro Caff. Pag. 96 lin. 8 leg. aut fine nova pro aut nova. Pag. 108 lin. 19 leg. non variari pro variari.

40. -

